







*Manuscrito de la Universidad de Deusto*

*Manuscrito de la Universidad de Deusto*



RENATI DES CARTES  
OPERA  
PHILOSOPHICA  
OMNIA,  
IN TRES TOMOS DISTRIBUTA,

Quibus continentur

I. Meditationes de prima Philosophia, Principia Philosophiæ, Dissertationes de Methodo, Dioptrice, Meteora, Tractatus de passionibus Animæ, de homine, & formatione fœtus, cum notis Ludovici de la Forge, & Autoris vita.


II. Epistolæ omnes partim ab Auctore Latino Sermone conscriptæ, partim cum responsis doctorum Virorum ex Gallico translata: in quibus omnis generis quæstiones philosophicæ tractantur, & explicantur plurimæ difficultates, quæ in reliquis eius operibus concurrunt.

III. Geometria cum notis Florimondi de Beaune, operâ Francisci à Schooten, ab eodem, dum viveret, diligenter recognita, locupletioribus Commentariis instructa, multisque egregiis accessionibus tam ad ulteriorem explicationem, quam ad ampliandam hujus Geometriæ excellentiam faciendis exornata: itemque Principia Matheseos universalis, seu Introductio ad Geometriæ methodum, conscripta ab Er. Bartholino Gasp. Fil.

*Omnia hæc recensita à Viro clarissimo denuo sunt revisa, & ab innumeris mendis, quibus priores editiones scatebant, repurgata, una cum notis quibusdam & animadversionibus tumultuariis in universum opus,*

*huic editioni recens adjectis*

CVM PRIVILEGIIS.



Francofurti ad Mœnum,

Sumtibus FRIDERICI KNOCHII, Bibliop.

Anno MDCXCVII.



SINCERO PRVDENTIQVE  
LECTORI

Felicitatem perpetuam

BIBLIOPOLA.



Vemadmodum *Sol* non expectat preces & incantationes, ut exoritur, sed illico fulget, ac salutatur ab omnibus: ita neque tu expectaveris plausus, strepitus & laudes, ut beneficias, sed sponte conter beneficia, & æque ac *Sol* amaberis, inquit Epictetus apud *Stobæum* *serm.* CLII. Hujus sententiæ memor RENATVS DES CARTES, Penonii Dominus, ex antiqua & nobili, Pictones inter & Armoricos, gente in Gallia satus, illustrissimi & profundissimi Ingenii sui radios, pulsus, quæ totum foedabant orbem, tenebris, diuina illucescente gratia, feliciter explicuit. Ob quam beneficentiam nunc æque ac *SOL* amatur abs omnibus, qui æquum, justum & salutare rectius intelligunt. Fuit seculum, quo pro crimine habebatur *Aristotelem* nescivisse, eive

contradixisse. Nolo laudes ejus apud *Tullium IV Acad. qu. c. 46.* & lymphaticum *Averrhoem in III tr. de anim. aliosve longius hic repetere. Sane,* ait *D. Balthas. Meisner*, Theologus Witteberg. in *Philosophia sua*, ut vocat, *Sobria P. I. S. III. c. 3. qu. 1. S. 3. p. 768.* Princeps *Philosophorum Aristoteles est*, cui etiam *bonæ Artes hodie spiritum debent* & animam, qui *judicii acrimonia & ratiocinandi peritia omnibus ante ipsum sapientibus* & hujus seculi *palمام sine controversia præripuit.* Credat, qui potest. Modestior indoles *Selneccero in præloquio Phys. & Cl. Bassoni in præf. Philos. sue natural.* Si vero fusius distinctiusque scire cupias, quis in religione, moribus & doctrina fuerit *Archiphilosophus*, adeas velim *Petr. Gassend. S. Th. D. & Cathedr. Dinienf. Eccles. Canon. L. I. advers. Aristot. exercit. 3. p. 55. seqq.* nec non *Ol. Borrich. Med. & Philos. Harniens. lib. de Hermet. Egypt. ac Chem. Sapient. c. 10.* Adverte animum lector, (verba sunt *Seb. Bassonis in præfamine Philos. naturalis*, cui æquus & prudens quisque **BONVM** præfiget **FACTVM!**) & vide, quo jure *Aristoteles in Philosophia obtinuerit Principatum*, quo jure eundem conservet, ut securus regnet. „Quemadmodum enim solo coeloque sicco plantæ „atque arbusculæ, ubi non est copia succi melioris, quemvis humorem obvium sugunt, quem „in suam naturam convertant: ita postquam amplissima

plissima volumina, quæ Veteres de rerum natura, lium causis proprietatibusque conscripserant, perierunt, homines, hujus scientiæ avidi, quod non esset, quo famem explerent, *objecta hæc feracula devorarunt*, non discernere valentes initio, quæ noxia bonis immixta celabantur. Neque enim semper, quæ meliora sunt, aut veriora, citius eliguntur: Sed plerumque verisimilia, & quæ falsa veri speciem habent, incautos suo splendore decipiunt. Prudenter *Lactantius L. II. div. instit. c. 7.* *Sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod Majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia Majores nominantur.* Noverat ó *Ἰσακίδιος ἀνὴρ*, felicissimus sanioris Philosophiæ instaurator & reformator, quantum foret, quod scimus, & quantum contra, quod ignoramus: veteres non Dominos, sed hodegetas tantum, nostros fuisse, quos, si recto tramite currant, sequimur e vestigio: si vero deflectant, inque devia & præcipitia ducant, tutiorem calcamus semitam. Prudente diffidentia nihil est utilius. Hæc sane **CARTESIO** regiam stravit viam ad sublimiorem Philosophiam, quam, post foedissimam tot seculorum servitutem, *ὁνύ Ἰεωὶ καὶ νῶ* in libertatem tandem asseruit, & quasi



(o)

manu misit. Cuncta, quæ nunc antiqua sunt, olim erant noua, & quæ nunc recentia videntur, tandem fient antiqua. Sola bona, quæ vera sunt. Non est enim Philosophia nostra *Stoica*, seu *Platonica*, vel *Epicurea*, sive *Aristotelica*, sed quæcunque ab his sectis recte dicta sunt, iudicio *Clem. Alexandrini*. Nihil pestilentius sapientiæ studio, quam captiuitas ingenii: libertas contra philosophandi omni auro carior. Vanus ergo *Lentuli*, Prof. Herbornens. questus: *Cartesium* de omnibus dubitasse. De plebejis opinionibus eorum, qui videbantur, sed non erant sapientes, omnino dubitasse oportebat, qui alias ad sapientiam peruenisset? præcipua enim disciplina, tradente *Antisthene*, dediscere mala. Memini adhuc infastos invidosque Soles istos, qui Optimum Didascalum, ad tintinnabuli sonitum, extra muros urbis projiciebant, quem vero coronati Vertices e longinquo vocatum clementissime amplexabantur. Quam multi nunc eorum, qui oderant Virum, cum Salomone *Prov. V. 12. seq.* *Cur odimus*, quiritantur, *disciplinam & castigationem animo fastidimus? nec MAGISTRI nostri dictis obtemperavimus, nec PRÆCEPTORI aurem præbuimus? propemodum sumus in omnibus malis, in medio vulgo atque in catu.* Moses Josuæ petenti, ut vates prohiberet, responde-

(o)

spondebat: *num tu pro me inuides? utinam totus Jehova populus, ejus spiritu afflatus, vates sint.* *Num. XI. 29.* Veritatem vocabat *Epiphanius* *παιδοματόρα*. *Quantumvis enim omnia ipsam oppugnent, quantumvis etiam omnes probabilitates, verique similitudines inter mendacia eam locent; tamen, nescio quo pacto, ipsa hominum animos subit, iisque se insinuat, & alias quidem e vestigio demonstrat, quantam vim habeat, nonnunquam vero diu tenebris involuta & obscurata tandem ipsa sua vi obtinet, & mendacia pellit.* *Polyb. eccl. XIV.* citante *Rittershusio L. 1. sacr. lect. c. 2.* Sed quorsum vendibili vino prolixior hedera? quis probus aut sapiens *CARTESIVM* reprehendit unquam? næ qui *VIRVM* norunt, haud poterunt satis commendare; qui non laudant, vel ex stupiditate seu malitia, haud satis etiam norunt. Scribunt annales, Atheniensem *Timotheum*, cum aliquando in flumine piscaretur, reti ipsam fortunam cepisse, quæ totam per vitam cum ipso habitavit, unde etiam fortunatus dictus sit. Grandem in vastissimo sapientiæ pelago thesaurum reperit, qui *Pandectas Cartesianas* diurna nocturnaue versaverit manu. Hunc sane ipse tripus *Fortunatum* dixerit. Beatus homo, qui sapienter honesta meditatur, qui prudenter, & sancte disputat, qui



\* ( o ) \*

qui *sapientia* vias mente cogitat & *arcana* per  
pendit. *Eccles. XIV. 22.* Interim feliciter ute-  
re, Mi Lector, hoc libro, quem magnis sumti-  
bus Tibi damus, & vale ex voto, honestisque  
meis conatibus, Tibique inserviendi studio porro  
fave. Scribebam Francofurti ad Moenum Do-  
minica LÆTARE Anno Salutis  
M DC XCVII.



VITÆ  
**RENATI DES-CARTES**  
BREVIS DESCRIPTIO.



Renatus Des-Cartes, Dominus de  
Perron, in Gallia, quam semper excelsa in-  
genia protulisse nemo ignorat, illustri loco  
natus est. Nam patrem habuit antiquissi-  
ma nobilitate fulgentem, qui postquam Li-  
moni in Pictonibus diu privatus vixisset,  
tandem est ad supremam Rhedonum curiæ  
Præsidis dignitatem evectus, ac vitæ anno-  
rumque satur fato functus, dum noster in  
Belgio philosopharetur. De matre nihil nobis constat, nisi quod  
secunda mariti conjux unicum hunc ex ipso filium peperit.

Locus natalis ei contigit Haga Turonum, Turonensis provin-  
ciæ oppidum, in Pictonum confinio situm, ac quatuor leucis à ca-  
stro Heraldi (*Chatelleraut*) distans, quare nescio cur Petrus Bo-  
rellus eum in memoratâ modo Pictonum urbe vitales auras pri-  
mum hausisse scribat. Cartesius ipse l. i. Epist. 46. ad Chanutum  
de suo in Sueciam itinere, disertis pandit verbis, ubi natus sit:  
*Fateor (ait) hominem in hortis Turonensibus natum, nunc vero ejus re-  
gionis incolam, quam si mellis minus, at plus lactis habere credibile  
est, quam terram Israëlitis à Deo promissam, haud facile posse adduci,  
ut eam ursarum patria commutet, inter rupes & glaciem concessurus.*

Editus verò est in hunc mundum anno proximè elapsi se-  
culi supra nonagesimum sexto, quo & Fridericus V. Palatinus  
Electo Bohemixque Rex inter mortales vivere cœpit, Lambertus  
autem Danxus & Jacobus Kimedoncius, is Genevensium, iste

††

Heidel.



Heidelbergensium Theologus, vitam finiit. Diem quoque memorare convenit, erat enim dicti mensis ultimus, quem aliàs illustrium & præclarorum virorum obitu notatum invenio: nam eo ipso Romæ Titum Pomponium Atticum, Anno U. C. 722. Bethlehemi D. Hieronymum anno Christi 420. & Parisiis Franciscum Galliarum Regem anno 1547. obiisse, annales tradunt.

Quamprimum per ætatem potuit, animum ad studia applicuit, quorum incredibili semper amore flagravit, atque in collegio Flexiano, ætatis anno supra decimum septimo, consuetum curriculum laudabiliter absolvit, versatus in disciplina Patrum Societatis Jesu, quos felici methodo docendi haud paucos Magistros antecellere & ii fatentur qui ordini parum cupiunt, & Cartesius grata mente agnovit, cujus rei fidem facit Epistola XC. l. 2. ubi sequentia scribit: *Quamvis autem minimè credam, omnia quæ docet Philosophia, esse juxta cum Evangelio vera, nihilominus quia clavis est cæterarum scientiarum, credo admodum utile esse, ut integrum curriculum quispiam absolvat, prout in Jesuitarum collegiis traditur, antequam quis valeat Scholis, ut verè doctus evadat. Hunc autem Magistris meis honorem perhibere teneor, nusquam melius ut opinor doceri quàm Flexiæ. Et l. 1. Epistol. CXIII. unum ex Patribus ita compellat: Sanè cum debeam Patribus vestris totam adolescentiæ meæ institutionem; cum ad illos colendos semper fuerim singulari studio ductus, multaque consilia lenia & amica quàm ea quæ displicere possint, inire, multa sunt, quamobrem amicum istum rogatum vellem, ut omissa hac materia, calumniam suam in alia quapiam, quæ me non spectent, velit exercere: nisi porro ad aliam partem amplectendam me quasi cogeret injuria, quam mihi Patres vestros facere audio; atque etiam regula prudentiæ, quæ docet satius esse, apertos habere quàm occultos hostes.*

Egressus è Doctorum schola, idem de sese quod Socrates judicabat, εἰδέναι μὲν μὴδέν, καὶ οὐδὲν τὸ εἶδέναι, Scire se nihil præter hoc se sum quod nihil sciret, uti apud Diog. Laert. legere est. Sic enim paulo post principium dissertationis de methodo: Simul ac (ait) illud studiorum curriculum absolvi, quo decurso mos est in eruditorum numerum cooptari, planè aliud cœpi cogitare. Tot enim me dubiis, totque erroribus implicatum esse animadverti, ut omnes discendi coratas nihil



nihil aliud mihi profuisse judicarem, quàm quòd ignorantiam meam magis magisque detexissem. Cujus rei culpam quum neque Præceptorum inertia vel desidia transcribere, neque ingenii proprii vitio aut negligentia suæ tribuere posset, nullam in mundo firmam scientiam dari, quicquid verò ut probabile tantum affertur, propemodum pro falso habendum esse existimabat.

Insequentes aliquot annos variis peregrinationibus per Galliam, Belgium, Germaniam, Daniam, Hungariam & Italiam impendit, exercitus, urbes aulæque exterorum Principum invisens, & varia hinc inde experimenta colligens. Et castra quidem, Socratis exemplo, secutus est non tam belli aut vitæ militaris amore, quàm cupiditate artes laboresque bellantium sciendi ductus: unde & oblatam sibi militum præfecturam recusavit, & omni quo militavit tempore nullum stipendium accepit, præter unicum duplonem, ut vocant, quem in perpetuum militiæ suæ monumentum adservavit. Cæterum anno labentis ad finem seculi XX. Pragensi prælio, deinde & Bredanæ obsidioni ab Ambrosio Spinola mense Augusto anni XXIV. susceptæ bis interfuit: denique, ut cæteras actiones ipsius bellicas silentio præteream, Rupellæ expugnandæ anno XXVIII. liberam operam commodavit: cujus profecto obsidii exemplum clarissimè docet, Ecclesiam neque ipsam bellum gerere debere, neque Regum Principumque arma ad defendendam religionem sollicitare, aut munimentis pacta firmare, vel munimenta fœderibus custodire, sed piè vivendo, & salutarem veritatem amando, & fideliter modesteque profitendo, Deum ad misericordiam, & Magistratus ad favorem excitare.

Tantò autem libentius heic Rupellanæ obsidionis mentionem facio, quantò est justius, agnoscere sapientiam Dei, qui inter strepitus belli Cartesio occasionem suppeditavit, ea quæ longo tempore, continuis meditationibus, inter arma nunquam omisis, de certiore philosophandi ac veritatem reperiendi ratione, didicerat, non modò Viris summis ore communicandi, sed & postea editis publicè scriptis propagandi. Accidit enim durante ea obsidione, ut Chandovius, Vir genere & doctrina nobilissimus, postquam



quam in Illustrissimo cœtu, in quo præter alios dignitate, ingenio ac scientia præclararum rerum eminentes viros aderant Cardinalis Barbarinus, Romani Pontificis Legatus, & Cardinalis Berulius, Oratorii Ordinis Pater, de novis Philosophiæ principiis disseruisset, omnium applausibus exciperetur, & amplissimis laudibus condecoraretur singulis ab Auditoribus, præter unicum Renatum, qui interrogatus, quid sibi ista de disputatione videretur, Oratoris equidem laudavit sermonem, cœtum autem modestè reprehendit, quod probabilia pro certis, ac dubia pro indubiis admisisset, se enim paratum ad quamlibet veritatem duodecim argumentis verisimilibus oppugnandum. Id quum haud parum admirarentur, quæsiere ex ipso, num quis igitur extet certus vitandorum sophismatum, certique ab incerto discernendi modus: & affirmantem, unamquamque veritatem Mathematica evidentia secundum principia sua demonstrari posse, vehementer orarunt, ut publici ea juris faceret: quod & promisit.

Itaque post in Belgium secessit, studiis unicè vacaturus, atque in ista literarum bonarum patria diversis vicibus Amstelodamum, Leovardiam, Daventriam, Hardervicum, Ultrajectum, Lugdunum Batavorum aliaque loca incoluit, maximam verò ætatis reliquæ partem in villa Egmondana transegit, ubi & Philosophica & Mathematica opera, suo singula tempore, in lucem emisit.

Fatum & scriptori & scriptis contigit, quale ferunt res humanæ, quæ ad divinas accederent, nisi læta tristibus, grata ingratis & contraria contrariis temperarentur. Quidam enim Philosophiam Cartesii tam sunt mirati vehementer & amplexi cupidè, quam facere possunt qui eum demersam in puteo veritatem eruisse putant, eventu omnino dissimili Pyrrhonice doctrinæ sorti, de qua Diog. Laërt. in præcæm. τὴν μὲν γὰρ πυρρόωνειον οὐδ' οἱ πλείους προσκοιῖναι διὰ τὴν ἀσάφειαν: *Et verò quæ Pyrrhonice dicitur, propter obscuritatem à plurimis repudiatur.* Alii ex adverso libros hominis flamma dignos esse pronunciarunt, & Auctorem scepticis & impiis annumerarunt, atque ex humana societate insigni supplicio ejiciendum esse censuerunt. Nobis haud volupe est sive infestæ con-

contentionis historiam amplius enarrare, sive de capitibus accusationis & quæstionibus controversis iudicium ferre, quorum utrumque & ab instituto & ab ingenio & ab animo & à munere nostro est alienum: quanquam istud profiteri minimè vereamur, errasse interdum humana conditione Cartesium, & Ecclesiæ, cujus erat membrum, errores excogitatis ac speciosè declaratis philosophematis interdum defendisse, impietatem verò & supremi Numinis contemptum nequaquam docuisse.

Sed lubet paulò studiosius inquirere in causas propter quas Viri ingeniosissimi ac diligentissimi scripta tam diverso fuere modo excepta, & immodicè sive laudata sive reprehensa. Et posterius quidem quod attinet, dum sedulò rem mecum considero animoque circumspicio, manifestum mihi fit, cum genus doctrinæ, quod in scholis vigeat, Renato in orbem literatum procedente, tum scribendi rationem, qua utebatur ipse, forsitan & præclaram quam fovebat de suis operibus opinionem, haud parum contribuisse, ut nova ista philosophia à multis tam acriter impugnaretur, tamquæ severè tota damnaretur.

Primum enim ferè erat adversum doctrinæ seculi Cartesii quæ genus, quod is laboraret, veritatem primis ex principiis eruere, à simplicibus & facilioribus ad composita & difficiliora naturali ordine progrediendo, atque adeo rerum ipsarum naturam, causas & effecta penitus nosse, in qua cognitione veræ eruditionis gloriam ponebat, securus quid alii de controverso argumento sive olim docuissent, sive hodie sentirent: amabant contra Academiæ problematicis disputationibus exercere ingenia, quæstionumque solutiones peregrinis & doctè sonantibus vocabulis abdere, & dissentientium opiniones cumulare, interdum & nihil dicentium silentia memorare, ut quò quis plures posset citare libros, etiam nunquam visos, eò doctior haberetur. Hæc verò summa philosophandi diversitas necessariò debuit cum docentium tam discipulorum collidere studia, & contentiones excitare Scholasticas, quæ denique infausto pudendoque nec sinè mœstitia memorando seculi nostri vitio in animorum dissidia, rixas inimicitias & odia abirent. Invenio & ipsum Cartesium de ista fati sui causa cogitasse, nisi



quod eam justo ferocius allegat: sic enim l. 2. Epist. LX. ad Mer-  
fennum scribit: *Magni adversus me odii causa est, quod V. sit Pro-  
fessor quidam, qui philosophiam meam docet, & postquam ejus audito-  
res meum ratiocinandi modum semel gustaverunt, vulgarem adeo  
despicantur, ut illam palam rideant.*

Sed & ratio scribendi qua libros suos, etsi non omnes, tamen  
primum editos & ferè de invisis capitibus præcipuos composuerat  
novæ philosophiæ conditor, peramplam sanè & gravem contra-  
dicendi materiam, maximique momenti effata condemnandi præ-  
bebat occasionem. Scilicet rupto tandem post longas profun-  
dasque meditationes silentio, semet continuo filo introducit lo-  
quentem, & sua, aliena, amica, inimica, vera, falsa, proba, impro-  
ba eodem ore pronunciantem, ut quid credat confirmetque, quid  
refellat & improbet, non nisi multo labore, & repetitâ auctoris le-  
ctione dignosci queat: quo ipso facile accidit, ut vera medita-  
bundi viri sententia haud observetur aut intelligatur, ex adverfo  
autem peregrina & falsa ei à iudice quoque non malo tribuatur.  
Subit hoc loco memoriam nostram, quod de scriptis Mona-  
chorum esse tenendum judicamus: homines istos, quoniam erant  
à societate mortalium remoti, & solitariam viventes vitam, omni  
animi contentione profundis, saepe & abstrusis indulgebant cogi-  
tationibus, res mente secum perpensas, sive vulgares sive parum  
notas, cujuscunque erant argumenti & ponderis peculiari ac sibi  
propria dictione enarrasse, quam qui ex communi & reliquis mor-  
talibus recepto sermone, non attendendo ad scriptorum animum,  
studia, ingenium, statumque interpretari velit, nã! hic in percipi-  
endis illorum cogitatis immane quantum aberrabit. Itã Carte-  
sius Egmondanæ villæ inclusus, à doctorum consortio separatus,  
veteris methodi pertasus, & vulgarem scientiam ceu ineptam &  
inutilem fastidians, dum privatis vacat contemplationibus, & in  
certiora inquirat, parum curat, quibus verbis recepta ab omnibus  
veritas Ultrajecti vel Lugduni Batavorum exprimeretur: imò &  
suas meditationes iis quandoque enunciationibus declarat, quæ ni-  
si meliorem habeant sensum quam prima fronte promittunt, etiam  
mitissimo homini non possunt non stomachum movere. Quis  
enim

etiam sapientiæ studiosus æquo ferat animo affirmantem, non esse  
credenda sensuum testimonia, quod ament nos fallere, res omnes  
in dubium vocandas, nedum falsis annumerandas? Quis supre-  
mi Numinis cultor non postulet impietatis novum Magistrum  
jubentem nos dubitare de ipsius Dei existentia, absque quo ne per  
unicum quidem momentum res finita esse & operari queunt?  
Omitto ceteras hujus generis sententias, quæ nisi ex integro Phi-  
losophi sermone commodius explicentur, quo de suo loco, sed  
brevissimè, & absque partium studio videbimus, neque sanum,  
neque pium sensum habebunt.

Denique haud me falli arbitror dum assero, præclaram quo-  
que opinionem, quam Cartesius de scriptis suis conceperat, unã  
cum reliquis adversi fati causis effecisse, ut tantò ab omnibus quan-  
tò sperabat applausu non exciperentur. Quum enim non inuti-  
lem Philosophiæ à scholarum tenebris vindicandæ, & veritati in-  
veniendæ, & rectæ rationis luci accendendæ operam præstitisset,  
securus de literati orbis iudicio, tantam sibi ipse tribuit laudem,  
quantam si alii dedissent, per modestiæ leges haud summisset. Non  
scribo ista de Viri meritis vel glória detracturus, quippe cui per-  
suasissimum est, si nã unicum quidem rem dextrè suis è principiis  
Renatus declarasset, sed immensum ubique aberrasset, maximas  
tamen Deo sapienti & benigno gratias deberi, quod per eum qua-  
rendæ veritatis & brevissimam & certissimam viam nobis osten-  
dit: divinam intelligo methodum, qua ommissis Vocabulis barba-  
ris ac significatione vacuis, præmissa nominum in disputatione ad-  
hibendarum definitione, à primis ad secunda, à simplicibus ad  
composita, à cognitis ad ignota absque saltu progredientes, inte-  
grum sapientiæ Systema ex plurimis positionibus veris clarè per-  
ceptis & ordine junctis, annulorum instar in catena aurea, concin-  
nè solideque coagmentamus. Verum enim verò hoc jam à me  
commemorandum esse puto, quando de nobis, studiisve & labori-  
bus nostris, rectis licet & utilibus, præclare nimium sentimus,  
Deum, qui solus est laudandus, ad temperandum immodica nostra  
gaudia, & arrogantiam emendandam puniendamve, aut operi non  
dare speratum successum, aut scriptori vel severos nimium vel in-  
justos



❁ ❁ ❁

justos excitare arbitros solere. Debeo istud monitum rectissimi animi Viro, cujus ob singularem pietatem, vastissimam eruditionem, & jucundissimam, quæ olim inter nos intercesserat, amicitiam, dulcissima mihi est recordatio, quique nunc illa vivit in Academia, in quâ nec laboriosè quaritur veritas, nec liber humanus legitur, nec meticulosè scribitur, nec vehementer declamatur, nec inimicè dissentitur. Quum enim ipsum interrogassem, quomodo Eruditi opus, utilissimum profectò & paucis tentandum, cui conficiendo viginti solidos annos impenderat, excepissent: haud eo, respondit, quo sperabam: nimium enim mihi de labore meo promittebam, quare Deus me castigat, ut moderatius de me sentire discam.

Sed revertor ad Cartesium, cui præsertim Patres Societatis Jesu inimici fuere, atque ut tanto facerent ægrius, illa parte vulnus infligere studuerunt, quâ fore acerbissimum callidè ominabantur. Erat namque Renatus Ecclesiæ Romanæ sic satis studiosus, ut se controversiis de religione agitatis immiscere horreret, omnemque hæreseos suspicionem anxie evitaret. Ignatiani contra Philosophum accusare impietatis, ceu hostem Catholicæ Ecclesiæ & proditorem mysteriorum ejus voce & scriptis traducere. Cartesio dederat natura ingenium severum, mores graves usu postea & studio confirmatos: Lojola Virum facere ridiculum, refellere ludendo, dogmata ejus & inventa Physica & Mathematica ridendo, negando vel carpendo. Amabat Renatus quietem, pacem & otium tranquillum, ut suis liberius incumberet meditationibus & inventionibus. Patres referendi ipsum laceßere ad prælia, provocare in arenam. Quapropter & animum à tota Societate alienavit, cujus si unum vel alterum membrum humanitatis officiis coluit, fecisse reor, ut ne ab omnibus oppugnaretur. De universo certè ordine scribit l. 2. Epist. 49. ad Merfennum, *Jesuitas habere ubique exploratores*, quod si verum est, neque cum primis institutæ Societatis regulis convenire, neque bona Patrum gratia vulgari existimo. At habuere Jesuitæ peculiare causas, propter quas Cartesii conatibus parum faverent, quippe qui suis à discipulis absolutissimam poscunt obedientiam, qua omnia cogitata, dicta & facta ad amplificandum



ficandum Ordinis emolumentum & cumulandam gloriam conferant, neque à Magistrorum sensibus unquam recedant: quos intra Servitutis limites Renati liberale ingenium coerceri minimè potuit.

Dispiciendum nunc est, quare ex adversa parte nimii Cartesii laudatores extiterint, qui vel singula ejus dogmata sine discrimine adprobarunt, vel plurima extra philosophiæ terminos in divini sapientiæ adyta intulerunt. Ubi primò quidem attendi velim ad id quod in amantibus quotidie observamus: nam rerum personarumque dilectarum nævi ab iis vel non animadvertuntur, vel pars pulcritudinis esse reputantur: deinde autem humanis ingeniis nisi acerima judicii vi dirigantur, solenne est ea quæ didicerunt omni loco & tempore protrudere, eoque disciplinarum fines perrumpere, inde in Academiis lites ac disceptationes, uti in Rep. pugna & bella de limitibus regionum oriri solent.

Porro cur inter Doctores impietatis Renatum nequeam referre, plures ipsius philosophia suppeditat rationes, quas qui rectè secum perpendit, totidem esse pietatis præcepta certò judicabit. Nam & Dei infinitam supra creatas res excellentiam, & immensam erga illas bonitatem diligentissimè inculcat, quâ contemplatione mens recta non potest non ad supremi Numinis timorem, cultum & amorem, veluti blanda quadam vi perducere: tantum abest, ut Deum esse dubitarit, aut Veritatis indagatores dubitare jufferit. Audiamus ipsum ex V. Meditatione: *Quod autem, ait, ad Deum attinet, certè nisi præjudiciis obruerer, & rerum sensibilium imagines cogitationem meam omni ex parte obsiderent, nihil illo prius aut facilius agnoscerem: nam quid ex se est apertius, quàm summum ens esse, sive Deum, ad cujus solius essentiam existentia pertinet, existere?* Quin omnem cum præsentis tum futuræ vitæ latitiam in sola Dei Optimi Maximi contemplatione posuit. Testantur id pia maximè & jucunda ejus verba, quæ in fine Medit. III. occurrunt: *Placet hic aliquamdiu in ipsius Dei contemplatione immorari, ejus attributa apud me expendere, & immensi hujus luminis pulcritudinem, quantum caligantis ingenii mei acies ferri poterit, intueri, admirari, adorare. Ut enim in hac sola divini Majestatis contemplatione summam alterius vitæ felicitatem consistere fide credimus, ita etiam jam ex eadem licet multo minus perfecta maximenam, cujus in hac vita capaces sumus, voluptatem percipi posse experimur.* Causarum verò secundarum virtutem operandi omnem

†††  
dum



¶ ¶ ¶  
dum ex sola caussa prima derivat, à qua omni momento pendeant, nonne de potenti, sancta & libera benignissimi Creatoris providentia concionatur? Quid dicam de modo, quo Philosophus noster arbitrii humani libertatem cum Dei præordinatione conciliare studuit: de quo sanè gravissimi ponderis argumento nescio an non rectiores, atque ad instillandam animis pietatem accommodatiores, quàm multi alii Doctores, habuerit sensus. Juvat exscribere quæ de illo docet Princip. p. 1. §. 40. 41. *Sed, ait, quia Deum jam agnoscentes, tam immensam in eo potestatem esse percipimus, ut nefas esse putemus existimare, aliquid unquam à nobis fieri posse, quod non antè ab ipso fuerit præordinatum; facile possumus nos ipsos magnis difficultatibus intricare, si hanc Dei præordinationem cum arbitrii nostri libertate conciliare, atque utramque simul comprehendere conemur. Illis verò nos expediemus, si recordemur mentem nostram esse finitam; Dei autem potentiam, per quam non tantùm omnia quæ sunt aut esse possunt, ab æterno præscribit, sed etiam voluit ac præordinavit esse infinitam: adeoque hanc quidem satis à nobis attingi, ut clarè & distinctè percipiamus ipsam in Deo esse; non autem satis comprehendere, ut videamus quo pacto liberæ hominum actiones interminatæ relinquant; libertatis autem & indifferentiæ, quæ in nobis est, nos ita conscios esse, ut nihil sit, quod evidentius & perfectius comprehendamus. Absurdum enim esset, propterea quod non comprehendimus unam rem, quam scimus ex natura sua nobis esse debere incomprehensibilem, de alia dubitare quam intimè comprehendimus, atque apud nosmet ipsos experimur.*

Verùm nolumus hisce diutius immorari, ne apologiam pro Carthesio scribere videamur: atque progredimur ad reliqua vitæ ejus momenta: paucis jam monituri, quod monumentis ingenii in publicum editis non solum famam nominis sui per universam Europam longè latèque propagarit, sed & in Regum, Principum, Virorumque illustrissimorum animis ingens sui desiderium excitavit: quem admodum constat, primùm ab Armando Richelio Cardinali, & Ludovico XIII. deinde anno hujus seculi XLIX. à Ludovico XIV. Gallia Regibus, uti belli gloria ad invidiam usque & vicinorum populorum incommoda maximis, ita ob literarum literatorumque curam & patrocinium nunquam satis laudandis, quum semel atque iterum, rei familiaris ordinandæ gratia, Lutetia Parisiorum ageret, lautis conditionibus oblati clementissimè rogatum esse, ut relicto Belgio sedes in isto orbis compendio quietas figeret. At prætulit ab

initio

¶ ¶ ¶  
initio angustam villam amplissimæ urbi, & otium philosophicum splendori aulæ, ambitionis & avaritiæ, quæ alias vitia Eruditis hoc depravato seculo exprobrari solent, omnino expers: post ubi expensarum pro augendis scientiis factarum ratio suadebat, facillè quidem Ludovici Magni annuisset petitioni, sed injuriâ temporis, ortâ inter Regem, Regiisque sanguinis Principes & supremam Regni curiam lite, quæ mox in domesticum bellum abibat, suam redire in solitudinem, & propriis porro sumtibus philosophari debuit, uti in Epist. 43. l. 1. ad Illustrem Chanutum legimus. Quare tandem voto Christina serenissimæ Suecorum Regina, quam vastum ingenium omnia quæ in mundo essent fierentque experiri jubebat, etfi aliquandiu repugnasset, infaustum itineris exitum veritus, Stokholmiam concessit, Reginam philosophicis præceptis imbuturus. Mox quum tenue corpus frigidum septentrionis aërem haud ferret, nudato nihilominus capite per totam ferè noctem coram decumbente Regina de propositis quæstionibus differere suetus, in morbum incidit, quo inflammatis pulmonibus, & venâ sine fructu sectâ, septimo die obiit, anno hujus seculi L. vitæ autem LIV. Imprudentem quidem lethale malum invaserat, quia morbus in principio non dignoscebatur, mors tamen inopinum non obruerat, utpote cui major vitæ quàm famæ immortalis dum viveret cura fuit, quo de præter cetera ejus symbolum ex Senecæ Tragædi Thyeste, sumtum testari potest: *Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus ignotus snoritur sibi*, Lib. 1. Epist. 34. Corpore erat pusillo, vultu blando, animo recto, ingenii judicii que vi incredibili, ad abscondita quævis eruenda pari, laboris indefessi; vitam vivebat innocentem, & quatenus per adversarios licebat quietam, fidus Magistratui licet peregrino, gravis nemini, officiosus erga omnes, utilis multis, doctorum cultor partiter & admirator, etiam eorum qui de religione cum ipso idem non sentiebant: amicos colebat submissè ac diligenter, inimicis, maximè iis, à quibus sibi impactas putabat calumnias, justo acerbius irascebatur, non infelix aliàs affectuum moderator: proVectior ætate studiosius meditabatur ac libros legebat, quos coëmere multorum more parùm amabat: unde Almaria ab amico rogatus, bibliothecam ipsi ostenderet suam, si quam haberet, dissectum ei vitulum monstrans, en! meam ajebat bibliothecam. Quando cum aliis conversabatur, parùm sed blandè, graviter, & Viro sapiente digna loquebatur; privatas meditationes anteponebat publicis

†††

con-



congressibus & litigiosis disputationibus, quod eas ad veritatem indagandam esse aptiores sciebat. Temperantiae aliisque virtutibus moralibus studebat quam maximè, vitiorum & criminum omnium hostis acer, non hominum, qui illis polluti essent: culpæ expers nisi quod mulierum colloquio vix innocenter delectatus esse post studia laboresque vim animi fatigantes, à nonnullis putabatur.

Atque hoc est curriculum vitæ Renati des Cartes, Viri supra invidiam magni, quousque ejus historiam colligere licuit. Quum veterum Philosophorum annales percurro, plurima eum cum Anaxagora habuisse communia deprehendo. Erat namque Ionius iste Philosophus animo excelso, quærendis aut servandis opibus non addicto, quippe qui, Diogene Laërtio teste, universum patrimonium suis sponte concessit. Ita Renatus majorem substantiarum non mediocriam partem inveniendæ veritati & faciendis experimentis impendebat. Anaxagoras *περὶ τῆν τῶν φυσικῶν θεωρίαν ἢ, ἔ φρονιζῶν τῶν πολιτικῶν, ad speculandum rerum naturam se contulit, reipublicæ negligens.* Noster studiis unice intentus, Physicis potissimum & Mathematicis, quid Reges Principesque machinarentur agerentvè minimè curabat, unde & Stokholmiae vivens hanc exoravit gratiam, ne unquam in aula comparere deberet, nisi quando præsentè Regina philosophandum esset. Anaxagoras parvo aut nullo patriæ studio teneri credebatur: Cartesius plures vitæ annos extra solum natale transegit. Ionius dicebat solem esse candens ferrum ac penitus ignitum, Lunam habitacula in se habere & colles & valles, ex parvis similium partium corporibus hoc totum esse compositum, mentemque initium motus, tonitrus nubium esse collisionem, coruscationes confricationem itidem nubium &c. quas opiniones & Renatus adoptaverat. Anaxagoras ob peculiarem de quibusdam philosophiæ capitibus sententiam impietatis fuit accusatus, noster idem fatum expertus. Denique Anaxagoras Lampfacum profectus, illic diem suum obiit anno ætatis LXXII. defunctoque Lampfaceni honorificè justa persolverunt, & tumulum ejus epigrammatibus condecoraverunt. Renatus Holmiæ finivit vitam, ubi aliquot saltem exegerat menses, ploratus à Regina, à Chanuto Regis Galliæ ad Suecos Legato honoratus monumento exequiali, Anaxagora quidem XVIII. annis junior, sed victurus diutius in memoria eorum, qui rectæ rationis lumen accendi in humanis mentibus pro seculi ad barbariam inclinantis felicitate ducunt.

## INDEX GENERALIS.

Numerus notat paginam cujusque voluminis. Litera M. designat Meditationes. Pr. principia. Sp. Specimina Philosophiæ. P. tractatum de Passionibus, & H. tractatum de homine.

A.	
Aequiescentia in se ipso.	P. 67
Admiratio quid sit.	P. 22, 25, seqq.
Aeris natura.	Pr. 115
Etheris generatio.	Pr. 74
Affectuum sedes non est cor.	Pr. 13, usus, 48.
seqq. contra eos remedium generale.	P. 73
affectuum particularium descriptio.	P. 74.
seqq.	
Albedo quid.	Sp. 74
Ambulatio machinæ humanæ.	H. 148
Amor quid.	P. 22, 28, seqq.
Animalium spirituum secretio à sanguine.	H. 21
Aquæ natura.	Pr. 116, aqua marina cur pellucidior aliis, Sp. 135.
cur difficile geletur.	
Ibid. dulcis cur facile abeat in vaporem.	Sp. 135.
Salsa cur sit ineptior extinguendis incendiis.	Sp. 136
Argenti vivi natura.	Pr. 120
Arteriarum pulsus.	H. 10, formatio, H. 1000
Arteriæ Carotides cur geminæ.	H. 182
Atomi non dantur.	Pr. 26.
Auditus quid.	Pr. 163, H. 59.
B.	
Bituminis materia.	Pr. 121
C.	
Calor quid.	Pr. 107, Sp. 127
Camera obscura.	Sp. 62
Carbonis descriptio.	Pr. 134
Cera cur attrahat.	Pr. 159
Cerebri structura.	H. 82, pori, H. 128, formatio, H. 177, differentia in vigilante ac dormiente, H. 100
Chyli in sanguinem conversio.	H. 6
Chymicorum principia.	Pr. 121
Cibi coctio in ventriculo.	H. 4
Clarè & distinctè percepta sunt vera.	Pr. 7
Cœlestis materiæ particule sunt rotundæ.	Pr. 53, ciunguntur materiæ subtili, Pr. 53
Cœli sunt fluidi.	Pr. 46, deferunt corpora in se contenta, ibid. non moventur perfecte circulariter, Pr. 49, aspectabiles sunt tres
	Pr. 55
D.	
Cogitatio quid sit.	Pr. 2, differt ab extensione, Pr. 15
Cogitandi modi duo.	Pr. 7
Cognitio Dei fundamentum omnis scientiæ.	Pr. 3
Colorum natura.	Sp. 42, qui videantur per chartam albam in fundo oculi animalis mortui, Sp. 61
Cometarum phaenomena declarantur.	Pr. 85, seqq. coma, Pr. 89, cauda, Pr. 92
Commiseratio quid.	P. 22.
Conatus ad motum ejusque vis.	Pr. 56-59
Conscientiæ moïsis.	P. 63
Contemptus quid.	P. 22
Conus qui inveniatur.	Sp. 117
Copernici hypothesis.	Pr. 43
Cordis pulsus.	H. 10, motus qui fiat, P. 4, formatio, H. 174, partium ejus descriptio, H. 161, calor unde, H. 187, figura unde, Ibid. fibræ qui formatæ, H. 185
Corporum existentia probatur.	M. 31, Pr. 10
essentia consistit in extensione.	M. 27, Pr. 21, sunt divisibilia in infinitum, Pr. 30, differunt à mente, M. 31
Corporis vivæ & cadaveris discrimen.	Pr. 2
Corpus & Himes in se invicem agunt.	P. 13
Cupiditas quid.	P. 22, 31.
E.	
Ei cognitio fundamentum est omnis scientiæ.	Pr. 3, existentia probatur, Pr. 3, 4, 5, M. 13, seq. 27, Sp. 17, natura à nobis non comprehenditur, Pr. 5, non est corporea, pr. 5, auctoritas præferenda perceptioni, Pr. 19
Deus non est causa errorum.	Pr. 7
Despectus quid.	P. 22
Desperatio quid.	P. 57
Distantia cur falsa appareat.	Sp. 73
Distinctio quotuplex.	Pr. 14, 15
Dubitationis necessitas.	M. 1, Pr. 1
Duratio quid sit.	Pr. 13
Dura corpora cur non facile manibus dividantur.	Pr. 40
Durities corporis quid.	Pr. 36, 37
††† 3	E.



## INDEX.

**E.**  
**E**lementa mundi tria. Pr. 54  
**E**lementi primi motus inter globulos secundi, Pr. 66, tertii particular. Pr. 100.  
Ellipsis quid. Sp. 86  
Elliptica vitra urunt. Sp. 103. postponenda hyperbolicis. Sp. 105  
Erroris origo obscura perceptio, Pr. 8, 9. præjudicia. Pr. 17, 18. attentionis defectus, Pr. 18, verba rebus notandis inepta. Pr. 19. non Deus. Pr. 7  
Exhalatio quid. Sp. 129  
Existencia mentis prima cognita. Pr. 2  
Existimatio quid. P. 22  
**F.**  
**F**ames unde. H. 63  
Fastidium quid. P. 72  
Favor quid. P. 68  
Fines rerum non scrutandi. Pr. 7, 41  
Figura objecti qui dignoscatur. Sp. 71  
Filamentorum radices ex arteriis oriuntur. H. 184  
Fixæ stellæ non ponuntur nimis remotæ, Pr. 42. propria luce fulgeant, lb. æqualiter semper à se distant. Pr. 43. maximè à Saturno Pr. 44. non versantur in eadem sphaera, P. 46. qui sint formatæ. Pr. 58  
Flava omnia cur videantur per flavum vitrum. Sp. 72  
Fluiditas corporis in qua consistat. Pr. 36-39  
Fantes cur non falsi. Pr. 123  
Frigus quid. Sp. 127  
Fulgur. Sp.  
Fulminis generatio. Sp. cur vestes comburatur illis corpore. Sp. 170  
**G.**  
**G**audium quid. P. 24, 33  
Generositas quid. P. 55  
Glacies cur frigida ac dura. Sp. 127  
Glandula sedes animæ præcipua. P. 12  
Globuli secundi elementi. Pr. 68, 101  
Gloria quid. P. 24  
Gratitudo quid. P. 68  
Gravitas corporis quid. Pr. 104  
Gustus quid. Pr. 163, H. 47  
**H.**  
**H**ominis causa an omnia condita, Pr. 41  
Hyperbola quid. Sp. 92  
Hyperbolicorum vitrorum usus Sp. 100

**I**dez in mente M. 14. seqq.  
Jecoris ulus H. 80  
Ignis natura ac phænomena omnia declarantur. Pr. 125. seqq.  
Ignes fatui qui fiant. Sp. 171. cur habeant vim parvam. Sp. 172  
Imaginationis natura ac causa, P. 3. differentia à sensu. H. 106  
Imagines in fundo oculi, Sp. 59. qui inde in cerebrum transcant. Sp. 65  
Impudentia quid. S. 72  
Infiniti & indefiniti discrimen, Pr. 6. de infinito non disputandum. Pr. 6  
Insomnia. H. 151  
Invidia quid. P. 24, 69  
Jocus quid. P. 63  
Ira quid. P. 24, 69  
Iridis Phænomena declarata, Sp. 173. cur diversi in eo colores P. 63  
Itrisiko quid. P. 63  
Iudicium pertinet ad voluntatem, Pr. 8. malum est de sensibus, affectibus, dolore. Pr. 16  
**L.**  
**L**actymæ unde. P. 45  
Lacus cur non habeant fluxum & refluxum. Pr. 119  
Lætitia quid. P. 33  
Levitas corporum in quo consistat. Pr. 104  
Liberum arbitrium quid. Pr. 23, 9. non pugnat cum æterna præordinatione. Pr. 9  
Licnis usus. H. 81  
Locus quid. Pr. 23  
Lumen quid. Pr. 107. Sp. 42. cur sentiatur majus vel minus. Sp. 67  
Luna vehitur circa terram, Pr. 49. cur. Pr. 95. illuminatur à terra, Pr. 43. cur celerius feratur quàm terra. Pr. 96  
Lux quid. M. Pr. 55  
**M**acularum in sideribus productio ac dissolutio, Pr. 74. tegunt integrum quandoque sidus. Pr. 75. habent meatus. Ibid.  
Magnetis natura ac phænomena omnia declarata. Pr. 142. seqq.  
Magnitudo objecti qui dignoscatur. Sp. 71  
Mare cur salius versus æquatorem quam versus polos, Sp. 136. ejus fluxus & refluxus Pr. 116. causa ejus. Pr. 118  
Materia subtilis indefinenter movetur. Sp. 126. facitè dividitur, Pr. 54. movetur celeritè, ibid. fluit ex polis vorticum ver-

## INDEX.

sus centrum, Pr. 63. habet particulas inæquales. Sp. 127  
Memoria in quo consistat. H. 111  
Mentis existèntia primò cognita. Pr. 2, M. 8  
Mens corpore notior est. Pr. 3. M. S. agit in corpore & ab eo patitur. P. 13. seqq.  
Methodi ab aurore investigatæ regulæ. Sp. 6  
Metus quid. P. 57  
Modi rerum quid. Pr. 11  
Montes ignivomi. Pr. 125  
Moralis scientiæ regulæ. P. 12  
Motus quid. Pr. 27, 28. ejus causa Deus, Pr. 31. regulæ generales ac speciales, Pr. 32-36. non est contrarius motui. Pr. 34.  
Mundus indefinite extensus. Pr. 26. plures nequeunt esse. Pr. 26  
Musculorum descriptio. H. 29  
**N.**  
**N**ebula quid. sp. 148. qui generetur, Sp. 151  
Nervorum structura H. 25. substantia, Sp. 55. egressio ex spina dorsii. H. 179  
Nigredo quid. Sp. 46  
Nitri diversitas à sale. Pr. 123. descriptio. Pr. 134. seqq.  
Nutritio humani corporis. H. 13, 170. seqq.  
Nubium natura & generatio. Sp. 148. seqq.  
**O.**  
**O**culi structura Sp. 61. ictus in oculo cur sistat plura lumina, Sp. 66. cur oculis clausis post conspectum solem videamus varios colores. Sp. 66.  
Odium quid. P. 22, 28, 30. seqq.  
Odoratus quid. Pr. 163, H. 57  
Opera Dei nò nimis ampla cogitantur. Pr. 41  
**P.**  
**P**alpebrarum motus. H. 45  
Particulæ insensibiles dantur. Pr. 166  
Passiones animæ differunt à functionibus corporis. P. 1. quid sint. P. 11  
Perceptibilia vel res sunt vel æternæ veritates. P. 10. 11  
Perceptio clara ac distincta veritatis norma. M. 22. seqq.  
Perceptiones sunt variæ. P. 9. quæ sit clara, distincta, obscura, confusa. Pr. 9, 10  
Perspicillarum inventio, Sp. 80. materia, Sp. 106. pulcra qualia esse debeant, Sp. 111 qui fiant ex unico vitro. Sp. 108. eorum usus. Sp. 124  
Phænomenon usus in philosophicis, Pr. 41

Physicarum questionum rectus ordo. Sp. 12  
Planetarum distantia à sole. Pr. 42. lucem à sole mutuatur. Pr. 42. non semper eandem inter se distantiam retinent. Ibid. circa solem à celo deferuntur. Pr. 48, 49. eorum aberratio in latitudine. Ibid. motus in longitudine. Pr. 49. motus causa. Pr. 53. &c.  
Pluvia unde. Sp. 168. lactis & sanguinis unde. Sp. 171  
Pœnitentia quid. P. 63  
Poli cujusque vorticis tangunt polos aliorum vorticum. Pr. 60  
Præjudicia deponenda. Pr. 10  
Primum cognitum quodammodo. Pr. 2  
Principia philosophiæ sint clara. Pr. 40  
Ptolomæi hypothesis. Pr. 43  
Pudor quid. Pr. 24, 72  
Pulmonis usus. H. 165. formatio. H. 175  
Pupilla oculi cur dilatetur & ardeatur. Sp. 54  
**Q.**  
**Q**uantitas à corpore non differt realiter. R. Pr. 2.  
**R.**  
**R**adii solis qui in momento ad nos veniunt. Sp. 42. luminis quid sint. Sp. 44  
Rarefactio qui fiat. Pr. 21  
Reflexio qui fiat. Sp. 47. ejus angulus cur æqualis angulo incidentiæ. Sp. 48.  
Refraçtio quid. Sp. 46. ejus magnitudo. Sp. 50. seqq.  
Respiratio qui fiat. H. 46. ejus usus. H. 49  
Revelata omnia credenda. Pr. 6  
Risus unde. P. 43.  
Rotunda cur appareant corpora valde parva aut valde remota. Sp. 75  
**S.**  
**S**alis particulæ qui hæreant in superficie aquæ. Sp. 137. quas habeat particulas Sp. 128. ejus origo. Sp. 123  
Salsa aquæ natura. Sp. 133. gravitas. Sp. 134  
Sanguinis circulatio probata H. 166. non impeditur membro abscisso. H. 152. formatio. H. 174. rubedo. H. 174. dilataçio in corde. H. 7  
Sanguis arteriarum, non venarum nutrit. H. 12  
Sensus quid sit & qui fiat. Pr. 161. non pertinet ad corpus. Sp. 55. quid sensus doceant. Pr. 20. sicut ope nervorum. Sp. 55  
Situs objecti qui agnoscat. Sp. 68  
Sitis unde. H. 76  
Sol qui possit illa se oculo videri. Sp. 87. est



I N D E X.

**S**tella fixa, Pr. 43. luce propria fulget, Pr. 42.  
 est flamma non egens alimento, pr. 44. 45.  
 qui sit formatus, Pr. 55. est rotundus. Pr.  
 66. ejus distantia à terra, Pr. 42. macula  
 Pr. 49. 73. seq. lumen diffundit versus  
 Eclipticam & polos, Pr. 66. materia, qui  
 moveatur. pr. 64  
**S**olidarum partium materia. H. 183  
**S**oliditas corporis quid sit. Pr. 103  
**S**omnus discrimen à vigilia. H. 149  
**S**patium quid, Pr. 22. qui differat à corpore.  
 Pr. 23  
**S**peciebus intentionalibus non est opus, Sp.  
 43  
**S**permatidis materia. H. 173  
**S**pes quid. P. 22  
**S**piritus animales qui producantur. P. 4. à  
 sanguine secernuntur in cerebro, H. 21.  
 sunt principium motus in machina hu-  
 mana, H. 23. qui eant in nervos, H. 130  
**S**tellæ trajicientes qui fiant, Sp. 171. fixæ mu-  
 cantur quandoque in comocam vel plane-  
 tam, Pr. 82  
**S**tellæ errantes vid. Planeta.  
**S**tellæ ex improvise apparentis vel disparen-  
 tis descriptio. Pr. 78. 79.  
**S**triatæ particulae. Pr. 71. 72  
**S**ubstantia quid. Pr. 11  
**S**ucci acres & acidi. Pr. 121  
**S**ulfuris materia. Pr. ib.  
**S**uperbia quid. P. 56  
**S**uspicia unde. P. 47  
**S**ynterefs quid. P. 22

**T**

**T**aurus quid. Pr. 163, H. 51  
**T**elestropia qualia esse debeant. Sp. 108  
**T**empestatis vis cur minuatur sonitu  
 Campanarum. Sp. 117  
**T**empus quid. pr. 13  
**T**erra est planeta. Pr. 42. 43. quantum à sole  
 distet, Pr. ibid. ratione luminis non differt  
 à planeta, ibid. quiescit in suo cœlo licet  
 ab eo delata, Pr. 46. 47. vehitur circa pro-  
 prium centrum. pr. 49. qui sit generata, Pr.  
 99. ejus regiones tres. Pr. 99. seqq  
**T**erræ motus causa. Pr. 125  
**T**errestres particulae in 3. genera diversæ, Pr.  
 109. vi solis attolluntur. Sp. 126

**T**errestria corpora ex variis particulis sunt  
 composita. Sp. 126  
**T**onitru unde. Sp.  
**T**rabum apparitio. Pr. 92.  
**T**ristitia quid. P. 24. 35  
**T**unicæ venarum sunt ex sanguine. H. 184  
**T**ychonis Brahe hypothesis, Pr. 43, 44. se-  
 cundum eam terra movetur circa propri-  
 um centrum, & circa solem motu annuo,  
 Pr. 50

**V**

**V**acuum non datur. Pr. 24, 25  
**V**alvularum in venis formatio. H. 186  
**V**apor quid, Sp. 129. qui densetur, Sp.  
 131  
**V**enæ cavæ descriptio, H. 164, & arteriosæ, ib.  
 formatio. H. 175  
**V**eneratio quid. P. 22  
**V**entus quid sit & qui generetur, Sp. 141. ab  
 oriente cur sicior & fortior. Sp. 143, 144  
**V**eritatis character charitas, M. 22  
**V**is agendi & resistendi, Pr. 34  
**V**isionis organa interiora & exteriora, Sp. 75  
 qui dicatur fieri per axem. Sp. 62. non sit  
 ope imaginum ab oculis in cerebrum  
 transeuntium, sed ope motuum ipsos  
 componentium, Sp. 66. sit distincta mul-  
 tis capillamentis. Sp. 68  
**V**isus quid, H. 61. Pr. 163. ejus præstantia, Sp.  
 41. cur interdum fallat, Sp. 71. cur objecta  
 sistat duplicia. ibid.  
**V**itrum qui fiat, Pr. 137. cur sit liquidum  
 cum candet, Pr. 138. cur frigidum durum,  
 ibid. cur fragile, pr. 139. cur pellucidum.  
 ibid. cur attrahat, pr. 139. modus expo-  
 liendi vitri. Sp. 115  
**U**mbilici formatio, H. 163  
**U**niversalia quid, Pr. 13  
**V**oluntas errorum causa. Pr. 9  
**V**orticum motus inter se consentiunt, pr. 60.  
 magnitudine sunt inæquales, pr. 61. duo-  
 rum vorticum poli se mutuo tangere ne-  
 queunt. ibid.

**Z**

**Z**blotypia quid. P. 23



BREVES  
**ANNOTATIONES**  
*Ad controversa quadam*  
**Philosophiæ Renati Des-Cartes**  
 Capita.  
**Ad Meditationem I.**

**I**n animum Philosophus induxerat suum, assi-  
 dua diurnaq; contemplatione firmiorem & certio-  
 rem investigare cognitionem, quam putabat usque  
 huc in scholis tradi. Ad finem eum impetrandum ju-  
 dicabat esse omnino necessarium, ut quæ præterita æ-  
 tate credidisset vel didicisset omnia, quoniam infirmo  
 & instabili niterentur fundamento, sensuum nempe  
 haud raro nos decipientium testimonio, simul & se-  
 mel in dubium revocaret, & veluti falsæ essent, è mente deleret: architectum  
 imitatus, qui diruit ædificium vetus, ruinam minitans, ut ejus loco novum  
 solidius, & concinnius extruat.

Invisa *dubitationis* vox est: res ipsa tenetur ab omnibus, assensum esse  
 cohibendum donec veritatem evidenter percipiamus. Damnamus nam-  
 que judicem pro tribunali sedentem, qui nondum audita parte utraque sen-  
 tentiam pronunciat, vel accusatoris convitia haud dum probata temere cre-  
 dit: & noster animus sustinebit judicare de iis quæ aut ignorat omnino, aut  
 non satis diligenter, & penitissimè investigavit? Rectius Arcefilas apud Ci-  
 ceronem l. i. quaest. Acad. nihil, ajebat, oportere neque profiteri neque affir-  
 mare quæquam, neque assertionem approbare, cohibereque semper & ab omni  
 lapsu continere temeritatem: que tum esset insipiens, cum aut falsa aut inco-  
 gnita res approbaretur, neque hoc quicquam esse turpius quam cognitioni &  
 perceptioni assertionem approbationemque præcurrere. Et Cicero ipse in Lu-  
 cull. Quamobrem cum tam vitiosum esse constet, assentiri quidquam aut fal-  
 sum aut incognitum: sustinenda est potius omnis assensio, ne precipitet, si te-  
 mere processerit. Ita enim finitima sunt falsa veris, eaque quæ percipi pos-  
 sunt



*Sunt (si modo sunt quadam: jam enim videbimus) ut tamen in precipitem locum non debeat se sapiens committere. Absit illud nostrum faciamus, certi omnino esse nihil, quod vel percipi à mente humana clarè queat, aut affirmari debeat: sed hoc ex utroque retinemus, nulla esse adprobanda, nisi quæ evidentè perceperimus.*

Igitur &c, interrogabis, erit dubitandum, num Deus sit, num existat Is, sine quo existere ipsi haud possumus? Audi & discè sapere! Existit utique Ens perfectissimum, est Deus, rerum omnium conditor, conservator & rector: sed tunc præcipuam hanc veritatem certo credis? cave ne te decipias! quæ tibi eam argumenta persuasere? vide ne putes te credere quod non credis, te scire quod nunquam investigasti! Dic tu mihi rationem, cur multa hominum millia nuntium mittant veræ & sanctæ religioni, quam antea sunt professi? Seducti fidem nostræ doctrinæ non porro habent, quam prius habuerunt. Itane opinaris? Imo falleris multum. Capita salutatis religionis nunquam crediderunt, quia nunquam investigarunt, sed credere se temere putarunt. Quærat enim ferè in istud hominum genus, quod de quibusdam Philosophis queritur Lucullus: *Ceteri, ait, primum ante tenentur adstricti, quàm quid esset optimum, judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore atavis aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capis, de rebus incognitis judicant, & ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tanquam ad saxum, adherescunt:* addo ego: donec calamitosa procella inde depellantur, aut blandientis fortunæ nutibus avocentur. Ne mirare quod assero: omnium enim illorum, quorum mens traditis veritatis præceptis sancta non efficitur, eruditio haud quicquam est nisi imago intellectui impressa, quæ neque de longinquo voluntatem attingit, ad quam assensus & fides pertinet: unde nec ipsi credunt quod alios docent, licet illud se credere putent, quoniam in animi sui statum non inquisiverunt.

Sensus non esse idoneos veritatis judices, multorum est sententia. Ita Varro apud Ciceronem l. 1. Acad. quæst. testatur, secundum Academicos & Peripateticos, quamquam oriretur à sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus mentem volebant rerum esse iudicem: *solum censebant idoneam cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex, & uniusmodi, & tale, quale esset, hanc illi ideam appellabant, iam à Platone ita nominatam: nos rectè speciem dicere possumus. Sensus autem omnes, hebetes & tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res, quæ subiecta sensibus viderentur, quæ essent aut ita parvæ, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles, & concitata, ut nihil unquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur, & fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant: scientiam autem nusquam esse*

*cense-*

*censebant nisi in animi notionibus. Sæculo præterito scripsit Caspar Peucerus, acerrimi viri iudicii, & sapientissimus, si aulicas vices exceperis, in libro de divinat. Et si mens ipsa & certis est à prima origine instructa notionibus, quæ sunt firma & immota æxaxartium omnium atque actionum, & non afficitur à corpore, ullive corporeis causis, tamen decepta indicio sensuum errantium in dyjudicatione simplicium aut ratiocinatione, mox eodem & ipsa errore involvitur, cumque vel levis error, præsertim si quis in aditu primo rei impingat, aut deviet à directo tramite, longius à scopo veritatis abducatur, & plurimos alios procreet: quanto à non rectè acceptis perperamque accommodatis sensuum perceptionibus, progreditur ulterius, tanto plus recedit à veritate & immergitur erroribus profundius.*

Verum enimvero, quantum testimonio sensuum tribui oporteat, certius nobis innotescat, primum res ipsas quæ existunt distinguendas esse, deinde essentiam & quicquid eo pertinet, ab essentia discernendam arbitror. Nam spiritus sive res cogitantes, & ex genere extensarum res insensiles sub sensu non cadere, est extra controversiam positum. Quin nec ad corporum sensilium essentiam penetrant, quare nec eam declarare possunt: tamen ad probandam eorum existentiam sufficere nullus dubito, si sentiamus vigilantes, non dormientes, sani, non ægri; organa sensuum non vitiatas aut aliter quàm oportet dispositas, sed rectè constitutas, reque sensili à nobis haud nimium remota. Cum enim nihil videri, audiri ullòve alio sensu percipi nequeat: sequitur id quod sentitur non posse non existere. Neque juvat dicere, quod inter videndum, audiendum &c. decipiamur, nullius enim deceptionis neque dum sentimus, neque postea, conscii nobis sumus, uti quidem sibi conscius fit æger aut dormiens, quando convalescit aut excitatur à somno. Deinde quando qui dormit, nonnulla se videre vel audire putat, iis insomniis non afficitur tam fortiter, quàm cum vigil audit aut videt. Bene Lucullus apud Ciceronem. *At enim dum videntur, eadem est in somniis species eorum quæ vigilantes videmus. Plurimum interest, sed id omittimus. Illud enim dicimus, non eandem esse vim, neque integritatem dormientium & vigilantium, nec mente nec sensu.* Quare concludo cum Cicerone l. 1. *Meo iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si & sani sunt, & valentes, & omnia removentur quæ obstant & impediunt:* addo, si ad probandam corporum sensilium existentiam, non ad demonstrandam illorum essentiam adhibentur.

At, quæ tandem hujus nostræ disputationis summa, quis finis? Exulet, quando ita scito Eruditorum decernitur, infausta dubitationis vox, atque ultra Garamantas & Indos relegetur, donec suam sapientiæ cultoribus innocentiam probarit. Incerta tamen ne habeantur pro certis, falsa ne pro veris assumantur, ignota ne judicentur. Attende, qui veritatem amas! Est

\* 2

ca in



ea in profundo demersa: hoc opus, hic labor eam è voragine in lucem protrahere. Cæcus est intellectus tuus, ea quæ sole sunt clariora, haud vides: vaga voluntas tua, ad rem unam licet pretiosam, nequis diu satis attendere: arcta ingenii vis, difficilia scituque ardua non comprehendis: labilis memoria, cito nimis comprehensa ex animo transmittis. Ut librum sapientiæ intelligas, discito legere; legere ut scias, dignosce cum infantulis literas; litera prima esto, certam equidem & indubitam esse veritatem, tibi autem incognitam. Unde hæc incertitia, unde hæc miseria tua?

## Ad Meditationem II.

**Q**ui recto animo stadium investigandæ veritatis ingreditur, & diligenter ea, quæ sibi proxima obveniunt, circumspicit, absque longa mora rem, quam primo cognoscere possumus, invenit. Dum enim ad suam ipsius attendit actionem, animadvertit, se inquirere in veritatem: unde absque omni erroris periculo concludit, se existere: & quia meditando, ac certa è dubiis seligendo occupatur, esse se rem cogitantem, i. e. attendentem, percipientem, volentem: quippe qui velit investigare sapientiam, qui attendat, qui denique attentionis beneficio percipiat se cogitare, se esse.

Atque hoc ferè est, quod Auctor secunda Meditatione tractat, cujus illustrationi aliquantum inservient, quæ cum de primo cognito, tum de humana mentis natura subjungemus.

Et primum quidem cognitum esse haud dubitamus *existentiam nostram mentis*: nam si quid cognoscimus, clarum est existere nos qui cognoscimus: & nemo de re altera certus esse potest, nisi prius sciat, se existere, cui rei alterius noticia obtingat: quo de iusto omnes esse consensus, ubi respondero ad duo, quæ huic assertioni videntur repugnare.

Prius est: an non Deus, Ens illud perfectissimum, quemadmodum est primum, & ante omnes res finitas existit, sit quoque primum cognitum, vel saltem esse debeat? quam ad questionem rectè solvendam juvat in principio observare, quod is qui novit Deum existere, seu veritatem ante perceptam ponat, se existere: nisi enim ipse existeret, Deum esse scire nequirit. Sed præcipuum responsionis caput suppeditabit consideratio status, in quo jam humana mens versatur. Scilicet non eo quo ipsa existunt ordine res novimus, sed ab infimis ad supremum, ab ultimis ad primum, à finitis ad infinitum nos ascendere misera cæci intellectus jubet conditio. Nostra nunc existentia & essentia nos ducit ad aliquantulam Dei conditoris notitiam, veluti pictura admonet de homine depicto, & lumen de ortu solis, & filius de patre, & rivus de fonte. In altera autem vitâ primum cognoscemus Deum & penitissimè intuentes videbimus, quàm pulcros, quàm profundos,

fundos, quàm diversos insculperit cum in corpore tum in animo nostro divinarum perfectionum suarum characteres, in quorum contemplatione omnis nostri notitia consistet. Igitur & ipse rerum cognitarum ordo nostram arguit corruptionem atque miseriam, ad quam quisquis sedulo attendit, altos misimè geret spiritus, etsi plurimarum rerum egregiam scientiam nactus est.

Posterius quod occasione primi cogniti interrogari solet est: annon Metaphysicæ illæ propositiones per se evidentes, quales sunt: nihili nulla sunt accidentia, impossibile est idem simul esse & non esse &c. cognoscantur ante mentis nostræ existentiam, utpote cujus demonstratio dictis enunciationibus nitatur? ideo enim id quod cogitat existere, quia nihil cogitare nequeat? Sed vicissim quero, quis ea norit axiomata, aut cui illorum veritas sit perspecta? ad quod respondebitur utique, natura esse nota menti nostræ: quare & hinc infero, humanam mentem existere, & hanc nos percipere veritatem prius quàm de Metaphysicis illis propositionibus cogitemus, nam propterea quia mens est, de iis cogitare potest. Cæterum quando agit Philosophus de primo cognito, non intelligit Logicam aut Metaphysicam quandam *enunciationem*, cujus veritas nobis ante alias innotescat, quæque non est nisi *ens rationis*, extra mentem non existens, sed *rem veram*, in universitate hac existentem, vulgo *Ens reale* dictam, quæ omnium prima à veritatis indagatore sciatur: atque hanc esse mentis humanæ existentiam, puto jam ex iis quæ usque huc disputavi, constare.

Qua de causâ nunc ad contemplandam animi nostri essentiam transeo, quod sane argumentum, ubi otiosas & inutiles contentiones in illius tractatione omittimus, & retentis iis, de quibus inter doctos convenitur, ignota alia, quæ illuc spectant, prudenter & sanctè investigamus, plura capita scitu dignissima comprehendere invenimus.

Est namque acriter & diu satis in scholis disputatum: an ad essentiam mentis aliud quid pertineat præter actum cogitandi? an & quod sit illud cogitationis subjectum? num cogitatio queat esse substantia? Verum primò teneamus quod certum est, mentem esse rem cogitantem, sive cogitare, idque modis diversis, attendendo, percipiendo, volendo, sentiendo, imaginando, deinde in medio relinquamus, de quibus Eruditi nondum secum consentiunt, neque definiamus, in animo præter cogitationem proflus nihil esse, neque in illius natura latere forsitan aliud quid nobis haud dum perspectum; aut Deum altera in vita non excitaturum plures ac novos cogitandi modos, quam eos quos nunc in nobis observamus. Sunt enim hæc, ut dicam quod res est, non modo arduæ per se quæstiones, sed & inimicis valde studiis utrinque agitæ, & sine magno fructu: hoc velim investigent amplius & declarent sapientiæ cultores, quod observamus omnes: quando-



quidem in mente nostra sit continua cogitationum separatarum vel diversarum successio per singula momenta, quibus ea existit, quodnam sit illud principium, quo mens momento primo ad hanc, secundo ad istam, atque tertio ad aliam cogitationem determinetur? Etenim mens cogitare nunquam cessat, sed una cogitatio sequitur alteram sine intervallo: neque tamen similes semper aut cognatae sunt eae cogitationes, sed quandoque dissimillimae ac diversissimae, cum praecedentibus omnino non cohaerentes, quandoque & contrariae. Ego quidem, postquam argumentum istud mecum paulo altius ac diligentius animo reputavi, existimo, principium quo mens humana ad has illasve determinatur cogitationes, partim *internum* partim *externum* esse. *Internum* principium appello eam cogitationem quae dum praecedit, mentem determinat ad sequentem: *externum* nomino quamcunque rem quae licet extra mentem existat, vel ad ejus essentiam non pertineat, in ipsam tamen agit, ejusque cogitationes variare potest. Ita quum Vir meditationibus assuetus momento primo sibi proponit desigere cogitationem in contemplando v. g. sole, per & propter hoc ipsum propositum momento primo factum, attendit momento secundo ad istud, momento tertio ad aliud solis attributum, quem tamdiu intuetur, donec naturam ejus percipiat. Lumen porro intellectus, sive claram distinctamque rei perceptionem determinare voluntatem, seu blanda vi inclinare & ducere mentem ad eam rem sive probandam sive improbandam, sive amandam sive odio prosequendam, sive expetendam sive fugiendam, nemo ignorat. Pariter ex una volitione nascitur altera, nam qui vult finem vult quoque media, quibus statutum finem adipiscatur; expetens cibum vult & manu cum prehendere & per os in ventriculum ingerere &c.

Res extra mentem existentes vel infinita vel finita sunt: infinitus Deus est, finita vel sunt corpora vel spiritus: hi vel sunt conjuncti cum corpore, vel corpus non habent uti Angeli, qui sunt aut boni aut mali. Corpora omnia sunt a mente nostra separata praeter unicum illud, cum quo lege naturae a conditore est conjuncta. Haecce etenim capita omnia tanquam certa & alibi probata hoc loco assumere placet. Omnes autem res istae, infinita & finita agunt in mentem humanam ejusque cogitationes variant & determinant. Et Deum quidem, Ens infinitum seu perfectissimum quod attingit, uti est diversa illius ad mentem ratio, ita & diversimodè cogitationes in ea producit. Considerari enim potest sive uti creator, conservator, rector, legislator & iudex mundi est, sive quatenus amicitiae aut gratiae foedus cum homine pepigit. Res vero finita omnes, extensae & cogitantes, queunt agere in mentem humanam, quia licet ab ea sint diversae & separatae, unam tamen cum ea Voluntate Conditoris constituunt magnam societatem, unum  
ingens

ingens corpus, mundum: sed partem unam agere in aliam, membrum unum in alterum, manifestum est.

Deus quemadmodum in res omnes, sic & in nostram mentem agit voluntate omnipotenti, sancta & sapiente: Spiritus unus cogitatione sua praebet alteri occasionem cogitandi de hac illave re: aut in Pomponio nascitur cogitatio de quodam negotio, quia & mens Caji de eo cogitat, interdum & vult ut Pomponius de eo cogitet: qui nexus cogitationum Caji & Pomponii nequaquam nititur essentiali virtute aliqua mentis alterutrius, sed lege naturali ad mundum regendum lata à Deo, qua sancivit, ut occasione cogitationis unius oriretur altera quanquam in subjectis diversis: & quando mens una non determinat alterius cogitationes, tenendum est, utranque à Creatore non esse eodem in gradu vel eadem in linea collocatam, i. e. mentem Pomponii plane nulla esse indutam relatione ad mentem Caji, sive alteram cum altera nihil habere commune. Mens scilicet incola Sinensis nunquam determinat cogitationes hominis in remotissimo Europae angulo positi, quoniam Deus nullam inter utrumque communionem aut relationem peculiarem instituit. Corpora omnia cum propria tum aliena agunt in mentem per sensus, obijciendo iis res obvias, quae ad sensorium commune delatae intellectu percipiuntur, mox voluntatem determinant.

Hisce praemissis videndum jam est, an humanae mentis cogitationes dissimillimas quidem, & nulla adfinitate conjunctas, saepe & contrarias, catenata tamen serie & nunquam interrupto ordine sibi invicem succedentes, suis ex principiis arcessere queamus, ut quis in nobis agat, prudenter & utiliter discernere discamus, ad cautionem, emendationem & consolationem nostram. Sed illud praemonere oportet, haud omnia quae de isto argumento sumus dicturi, fidenter nos ac temere adfirmare, nedum lectori credenda obtudere: verum conjecturando nonnulla & opinando, sapientioribus atque ingeniosioribus cum occasionem praebere velle, tum & facere preces, ut postquam in leges motus corporum tam est à Philosophis inquisitum diu ac sedulo & solerter, tandem & regulas cogitationum mentis humanae indagare orbique literato communicare non dedignentur.

Figamus igitur, Pomponium momento primo cogitare de faciendo itinere, secundo velle id ipsum adgredi, tertio, quarto, quinto & sexto dum in via est, negotium expediendum, meditari, atque septimo cogitatione subita statuere de relinquenda semita, qua alias volebat progredi, quaque si perrexisset certò in periculum antea ignotum incidisset: post momento octavo redire ad considerandas expediendi negotii rationes. Dico sex primas cogitationes esse ortas à principio interno, cogitatione puta praecedente, quae Pomponius est recordatus conficiendae rei eo in loco, versus quem iter instituit: deinde cogitationem septimo momento formatam venire à principio exter-

no,



no, nempe ab Angelo custode: sive Pomponium ideo viam inuisse aliam, quia volebat Angelus, ut cogitaret aliam ineundam: denique cogitationem octavam, quia Angelus non nisi septimo momento egit in Pomponii mentem, similiter deducendam ex principio interno, cogitatione prima de negotio.

Porro noster Pomponius Museo inclusus solus per integram horam omnes suas cogitationes in arduo quodam naturæ aut gratiæ mysterio contemplando defigit, nisi quod ejusdem horæ momento 40. & 41. interpellatur recordatione amici vel inimici, cum quo eo de argumento nunquam est locutus, & quem à longo tempore, utpote longo intervallo à se distitum, non vidit deque eo nihil audivit: mox momento 42. ad pristinam meditationem redit. Conjicio, momento 40. & 41. mentem Pomponii Romæ degentis determinari à mente Caji amici vel inimici viventis tum Parisiis.

Iterum Pomponius momento primo cogitat, Deum Conditorem tanquam Ens præstantissimum & optimum, esse amore & honore dignum: secundo, tertio, quarto, quinto & sexto animadvertit, miratur, laudat & amat excellentissimam Dei naturam, & ea meditatione lætatur, vehementer optans ut ipsâ mens sua indefinenter sit occupata. At verò momento septimo, octavo & nono suboriuntur in eo cogitationes sanctæ & excelsæ Dei majestate indignæ: decimo anxietas de merita poenæ: undecimo tristes ob offensum Deum benignum: duodecimo nascuntur vota remittendæ hujus contumeliæ Deo factæ. Non dubito, quin momento primo in mente Pomponii operetur Deus legislator: secundo, tertio, quarto, quinto & sexto Deus fœdere gratiæ ipsi junctus: momento autem septimo, octavo & nono, Angelus malus, seductor ille humani generis: decimo Deus iudex: undecimo ac duodecimo rursus Deus fœderatus.

Superesset denique ostendendum, quomodo haud raro cogitationes mentis determinentur verè à corpore proprio cum quo est arctissimè à Deo juncta, sive à peregrinis, non tamen absque opera proprii: verùm quia mentem Philosophus noster haud dum considerat ceu corpus habentem, idcirco reliqua ad sextam meditationem rejicimus, ubi opportunus erit de virtute corporum agendi in mentes differendi locus.

Cæterum ut ne istæ conjecturæ de determinatione cogitationum mentis unius per cogitationes mentis alterius absque examine prævio ceu ineptæ prorsus & ridiculæ repudientur, oro lectorem, ut duo hæc probe secum perpendat: prius, res cogitantes simul comprehensas non minus quandam inter se Remp. veluti ac societatem constituere, ac res extensæ faciunt unum orbem: posterius, si corpus unum, molem per se otiosam & inefficacem, credamus motu, quiete, figura, situ & quantitate sua, vi legis à Deo factæ in rerum

primor-

primordiis agere in corpus alterum: nullam nos scire causam, propter quam infirmemur, mentem unam cogitatione sua posse definire cogitationes mentis alterius.

### Ad Meditationem III.

Postquam Cartesius probavit, mentem humanam existere, & ejus naturam in cogitando positam esse: transit ad demonstrandam Dei existentiam, quam universæ Philosophiæ fundamentum substernit: idque tantò libentius moneo, quanto inde constat certius, neque Auctorem docuisse impietatem vel Numinis supremi abnegationem, neque ullam dari aut sapientiam aut religionem nisi cognitione Dei nitatur, ut cujus animus ea non penitus est imbutus, ad alia discenda nequaquam progredi debeat, vel si progrediatur, non firmam consequatur scientiam, sed inter incerta semper ac dubia fluctuetur.

Dei nomine exprimitur insita animo idea Entis optimi seu perfectissimi, uti jam Augustin. l. 1. Doctr. Christ. c. 6. monuit: *Non enim, ait, revera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur, sed tamen omnes latina lingua socios cum aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quandam immortalemque naturam.* Et cap. 7. *Nam cum ille unus cogitatur Deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur & vocant & colunt Deos, sive in cælo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere.* Bened. de Spinoza non quidem est insitiatus Deum esse, reapse autem naturam divinam sustulit, dum per Deum nihil intellexit præter compagem omnium rerum finitarum: quæ cogitatio tam est absurda Philosophoque indigna quàm est impia. Fac enim esse innumeras res per se finitas, quæ omnes simul comprehensæ, ex opinione Spinozæ, Deum constituent: nonne erunt hac in compage innumera, imperfectiones, nam rebus singulis quæ absolute non sunt infinitæ, aliquid deest: unde sequitur esse in Deo cumulum innumeros defectuum, vel infinitarum imperfectionum. Falsissimum verò est, quod homo iste opinatur, *ad essentialiam entis absolute infiniti pertinere quicquid essentialiam exprimit, & negationem nullam involvit.* Infinitum enim notat perfectissimum, quod sua natura est unum & unicum: ubi namque sunt res multæ, ibi essentia unius deficit alteri, v. g. corpori deest essentia Spiritus: ubi est defectus, ibi imperfectio. Non ignoro, Xenophanem Anaxagora paulò antiquiorem tradidisse: *unum esse omnia, neque id esse mutabile, & id esse Deum, neque natum unquam, & sempiternum, & conglobata figura atque Zenoni & reliquis ferè Stoicis æthera videri Deum summum, mente præditum quæ omnia regantur,* teste Cicero l. 4. quæst. Acad. Quin aut non satis assequor mentem Peripateticorum & Academicorum, aut ipsi quoque Deum cum harmonia mundi confuderunt, quippe qui statuerunt, *partes esse mundi omnia quæ insint in eo quæ natura sentiente*

1880



teneantur: in qua ratio perfecta insit, qua sit eadem sempiterna. Nihil enim va-  
lentius esse à quo intreat. Quam vim animum esse dicunt mundi, eandemq; esse  
mentem sapientiamq; perfectam: quam Deum appellant, omniumq; rerum  
qua sunt ei subiecta, quasi prudentiam quandam, procurantem cœlestia maxi-  
mè; deinde in terris ea, qua pertinent ad homines: quam interdum necessitatem  
appellant, quia nihil aliter possit, atq; ab ea constitutum sit: interdum quasi sa-  
ralem & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnunquam quid-  
dem eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa hac nec opinata nobis pro-  
pter obscuritatem ignorantemq; causarum. l. i. quæst. Acad. At plerique  
veterum Philosophorum, dum se in natura Dei investiganda sapientes esse  
putarunt, stulti sunt facti, quia Deum non uti cognoverunt, ita honorarunt.  
Et quæso qua ratione potuissent intellectu, qui erat omnino cœcus & tenebro-  
sus, percipere essentiam illius, qui lucem habitat inaccessam?

Cartesio fuit imputatum, quod Deum in vanam ac prætereuntem mo-  
mento cogitationem transformavit: quæ sanè opinio summæ Dei Majestati  
est contumeliosissima, & cum indignatione ad orbem releganda: sed eam fo-  
visse auctorem vix permittunt credere ea quæ scribit part. 1. princip. §. 23. *Et  
quamvis in nobis perfectio quedam sit, quod sentiamus, quia tamen in omni sen-  
su passio est, & pati est ab aliquo pendere, nullo modo Deum sentire putandum  
est, sed tantummodo intelligere & velle: neq; hoc ipsum ut nos, per operationes  
quodammodo distinctas, sed ita ut per unicam, semperque eandem & simpli-  
cissimam actionem, omnia simul intelligat, velit & operetur.*

Nobis quidem ita videtur, essentiam Dei & ineffabilem esse, & nullo  
modo hac in vita percipi posse: sive Deum planè nihil eorum esse quæ dicitur,  
atque naturam habere non modo à corporeis, sed & à cogitantibus rebus di-  
versissimam, infinitoque intervallo separatam: utrasque autem portare cha-  
racteres ab ipso Deo sibi impressos, & divinam essentiam adumbrantes; &  
quoniam natura rerum cogitantium sit longè præstantior corporibus, illas et-  
iam excellentiorem magisq; vivam & perfectiorem esse essentia Dei ima-  
ginem quam sint res extensæ.

Non opus est, ut hoc loco recensamus argumenta, quibus Philosophus  
Deum existere probavit: possunt enim ipso in volumine legi: & nostro qui-  
dem iudicio firma sunt omnia, nullaque arte queunt eludi: alterum tamen  
altero est clarius, perceptu facilius, eoque ad convincendos impiorum animos  
supremo de Numine aptius. Istud nunc paulò fufius oportet exequi, quo pa-  
cto stultus in corde possit dicere: non est Deus, si quidem mentibus humanis  
insita sit Dei idea, uti perfectissimam illius essentiam representans, sic & ne-  
cessariam existentiam arguens? Puto autem, hanc difficultatem omnino iri-  
sublatam, si rursus ad varia cogitationum nostrarum momenta attendamus.  
Etenim Vaninus, aut alius quispiam divinum Numen abnegans, etsi mo-  
mento

mento

mento primo cogitet, Deum esse, tamen momento secundo, tertio ac sequen-  
tibus eam veritatem inficiatur & refellere studet. Atque ista momenti pri-  
mi cogitatio impio suppeditatur ab ipso Deo, notum se in humanis animis fa-  
ciente, pertinetque ad naturalem Theologiam: sed cogitationes momenti se-  
cundi & reliquorum veniunt à prava voluntate, quæ testimonio Dei repu-  
gnat. Præterea & ipso secundo momento, quo Vaninus cogitat, Deum non ef-  
se, vim Vocis Dei intelligit, quod nempe designet Ens perfectissimum: intel-  
ligit verò illam ope luminis naturalis: unde iterum concluditur, testimoni-  
um existentia Dei impressum esse menti Vanini, quanquam illam neget, eo-  
que ipso momento quo velit negare, contra voluntatem suam affirmare: nam  
ista propositio, Deus non est, vel non credo Deum esse, æquipollet huic: ens  
perfectissimum, quod necessario debet esse, illud non est: cum quem meus a-  
nimus testatur necessario existere, credo non existere. Fateor tamen quod  
qui Numen esse negat, ad mensis suæ testimonium haud attendat, eoque nec  
pugnam enunciationis impiæ observet.

Similia ferè respondemus ad exempla populorum, qui omni Numinis  
sensu destituti esse dicuntur, aut saltem nulla id religione videntur colere, imò  
lingua disertè inficiantur. Nam 1. habent ideam Dei, quia licet nemo ipsis  
significationem hujus vocis declaret, tamen per eam nobiscum Ens primum,  
summum, perfectissimum intelligunt. 2. ad eam ideam vel nunquam vel  
non satis attendunt. 3. quum momento primo admonentur de existentia  
Dei, secundo istam cogitationem ex animo transmittunt, forsan alteram  
contrariam fovent: hinc 1. Deum neque docent, neque ritibus colunt, neque  
agnoscunt, quando Christiani ad ipsos de rerum omnium creatore, conser-  
vatore & rectore verba faciunt.

#### Ad Meditationem IV.

Quamquam arduum sit ac laboriosum veritatis indagandæ studium, ta-  
men & menti sit jucundissimum, ubi non est irritum & vanum, nihil est  
enim ei veritatis luce dulcius, teste Cic. in Lucull. *Cui enim possem non cupere  
verum invenire, cum gaudeam, si simile veri quid invenerim? sed ut hoc pul-  
cherrimum esse iudicem, vera videre: sic pro veris probare falsa turpissimum  
est, quemadmodum iterum loquitur Cicero l. c. Quare summa opus est di-  
ligentia prudentiaque, ut verum à falso discernamus. Signum autem, quo  
alterum ab altero dignoscamus, indicavit Cartesius hac IV. Medit. esse cla-  
ram distinctamque perceptionem: qua in re Veteres cum ipso consentire in-  
venio. Per spicuitas illa quam diximus (ex Tibullo rursus loquor) *facit magnam  
habet vim, ut ipsa per sese ea quæ sunt, nobis ita ut sint, indicet.* Mox lumen ve-  
rum ne cum præstigiis confundamus jubet: sed tamen, ait, ut maneamus in  
per spi-*

\*\* 2



per spicuis firmiss & constantiss, majore quadam opus est vel arte vel diligencia, ne ab iis qua clara sunt ipsa per sese, quasi prestigis quibusdam, & captiombus depellamur. Deinde impedimenta perspicuitatis amolitur. Quamobrem, inquit, cum dua causa perspicuis & evidentibus rebus aduersentur: auxilia totidem sunt contra comparanda. Aduersatur enim primum, quod parum desigunt animos, & intendunt in ea, qua perspicua sunt, ut quanta luce ea circumfusa sunt, possint agnoscere: alterum est, quod fallacibus & captiosis interrogationibus circumscriptis, atque deceptis quidam, cum eas dissolvere non possunt, desciscunt à Veritate: oportet igitur & ea, qua pro perspicuitate responderi possunt, in promptu habere, de quibus jam diximus: & esse armatos, ut occurrere possimus interrogationibus eorum, captioneq; discutere. Quæ profecto sunt ipsa duo media, quibusque Auctor passim monet, nos claram distinctamque rerum perceptionem consequi: diligens nempe attentio ad rerum ideas, & definitio nominum, ad captiones confusionesque evitandas.

Sed forte non abs re erit de Vulgato axiomate: quicquid clarè & distinctè percipitur: illud verum est: nonnulla addere. Primum itaque ponimus, quod norunt omnes, veritatem passim cum in divinis tum in humanis libris cum luce comparari, errores autem & mendacia tenebris conferri: inde intellectum assimilari speculo rerum ideas representanti. Deinde certum est, lucem clarè lucere ac suo se lumine commendare, neque à caligine & tenebris nisi illius sensu dignosci: & oculos quidem, cerebrumque & mentem tam afficere fortiter, ut si quis maximè tam vellet esse stolidus, & tenebras pro luce, lucemque pro tenebris habere, stultis tamen his placitis assentiri nequeat.

Porro nullum est periculum, ne erremus in luce videnda, quando est oculis circumfusa, ita ut tenebras pro lumine aut spissam noctem pro fulgida die habeamus: nam & organon visus rectè esse constitutum ponimus, determinarique versus præsentem lucem: oculos etenim si claudamus, neque medio die splendor Solis à nobis percipietur. Similiter sese res habet cum veritate, ad quam si attendimus dum in intellectu lucet, absque erroris metu eam cognoscemus. Quippe quum fallimur in objectæ animo rei perceptione, nostra id culpa fit, quam committimus omittendo ea, quæ ad res bene percipiendas requiruntur. \* Nam si & præstito officio nostro haud liceret errores evitare, vitium manifestè foret in percipiendi facultate, atque adeò redandaret in ipsum facultatis Auctorem, qui siquidem est optimus, non potest nos innocentes velle decipere.

Levia sunt quæ in contrariam partem disputari solent. Primum enim ajunt, unumquemque crassissimis etiam & tenebricosissimis erroribus implicitum jactare claram distinctamque ejus doctrinæ perceptionem, quam in publicum vulget. Verum eos, qui sic arguere amant, interrogo, quid responde-

dere

dere velint de cæco, qui simul infanus ac stolidus est, ductusque sua stultitia pertendit acerrimè, tenebras esse lucem, seque evidentè illas videre? infanire autem mortalium reliquos, quod caliginem pro lumine capiant?

Deinde verentur ne facile nimium detegatur veritas, si ista se luce menti humana commendet. Atqui & ego arbitror, & difficulter, & rarè, & à paucis tam pretiosum thesaurum inveniri: nostra tamen inquirentium culpâ, non abdita veritatis caligine. Quoruscunque enim haud in principio fatigatur, quum congregandæ in unum sunt cogitationes, ac penitus desigendæ in sola re, quam scrutari oportet? Quam verò amat vehementer mens per apertos vagari campos, & modo huc modo illuc oculos circumferre instabilis? Nunquid autem depictæ vividissimis & clarissimis licet coloribus tabulæ ab eo probè videbuntur ac dignoscuntur, qui singulis intuentis nonnisi unicum impendit momentum? Atque heic iterum naturalem miseriam corruptionemque nostram observare & plorare convenit. Postquam enim humana mens fecit summi, ad quod amandum & possidendum est condita, boni jacturam, in obviis ubique id rebus quarit, & quum non invenit, primo statim momento unius rei pertaxa, cupidissima impatientia ad alteram experiendam sese absque mora confert: quare & nullas discernere potest.

Tertiò, ajunt, Pelagiana est, & gratiæ Dei tam necessariæ in statu corrupto inimica dogmatis hujus consequentia, à novo peregrinæ lucis doctore claris verbis tradita: posse nos effugere errores, & in judicando nunquam labi, si velimus: si lubeat ad rem animo propositam attendere tamdiu, donec clarè distincteque eam percipiamus. Quæ sanè accusatio similis videtur transcriptæ in Medicum culpæ, negasse Virum bonum, & morbos & mortem inter humanum genus regnare, quod affirmasset, posse nos tueri valetudinem nisi luxu & intemperantia velimus labefactare, & neglectis remediis pessundare. Quasi verò non hic ipse esset mali nostri fons, & calamitatis fundus, quod & corporis & animi morbos effugere nolimus, neque per deploratam voluntatis malitiam possimus velle operam dare ut effugiamus! In qua ipsa assertionem nisi Philosophus nobiscum consensit, sinè ullo dubio nigerrimis calculis damnari meretur. Nempe attendere ad absconditam veritatem nolumus, neque per superiùs declaratam mentis inconstantiam attendere velle possumus.

### Ad Meditationem V.

AD eam ne omnino nihil dicamus, placet paucis refellere sententiam Spinosa de essentia corporum, quam in extensione positam esse Cartesius in principio hujus meditationis docet. Infaustus enim Philosophus iste, quemadmodum unicam esse putavit substantiam eamque infinitam: quæ præter reliqua attributa nobis incognita habeat extensionem & cogitationem: ita existimavit corpora quæ existunt, esse modificationes substantiæ illius infinitæ

\*\* 3

vel



vel Dei, quatenus à nobis consideratur sub attributo extensionis. *Per corpus, ait, intelligo modum qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit, Ethic. p. 2. defin. 1.* Quod ineptum pariter & impium dogma ut retundamus, primum extensionem haud esse attributum Dei: deinde corpora non esse modos extensionis, ostendere oportet.

Atque prius quidem quod attinet, extensionem non esse attributum Dei, sive Deum non esse rem extensam: nullus cui sana mens est, inficiabitur, omnem rem imperfectam à Deo longè esse removendam. Ast quid aliud nisi imperfectionem in extensione videmus, sive existentiam ejus sive naturam intueamur? Nam existentia extensionis planè est contingens neque necessaria, quia non existit vi suæ essentiae: natura verò consistit in longitudine, latitudine & profunditate, sive in possessione partium extra partes: Deus tamen neque partes habet neque dividi potest: nam & habere partes & posse dividi, imperfectionem involvit, sicuti per se patet, & ipse Spinoza agnovit, qui propterea esse individua corpora statuit. Porro limitata est extensionis natura, ita quidem ut non omnem contineat perfectionem, abest enim ab ea cogitatio, res profecto extensione haud parum præstantior: ac quicquid est limitatum, idem & imperfectum est.

Posterior estatum, corpora non esse modos extensionis, sed substantias extensas, sive extensionem diversis modis vestitam & affectam, facile evincitur. Nam & modi sunt in substantia, & extra illam existere nequeunt: cera verò non intelligitur esse nisi in se ipsa. Neque juvat dicere, ceram esse in extensione, potius enim advertimus extensionem esse in cera, tanquam attributum, ex quo corporea ejus essentia constituatur. Vel, ceram non intelligimus instar adjuncti in subiecto, sed tanquam partem extensionis universæ certis modis imbutam & definitam, qui ad faciendam ceræ naturam necessarii sunt.

## Ad Meditationem VI.

Conficit denique Philosophus, præter res cogitantes dari & hac in universitate extensas aut materiales, quæ sint generis à prioribus diversissimi, & vulgo vocentur corpora: è corporibus autem esse unum, quod modo peculiari ad mentem pertineat, & tanquam conjunctum cum ea spectari debeat.

Existere corpora primum colligimus ex ideis vel speciebus eorum in mente nostra expressis. Ut enim imago vel pictura testatur de re depicta: ita idea de corpore cujus naturam representat. Nam animo humano observantur species Solis, arboris, ferri, lapidis, &c. quæ siquidem non pro arbitrio à nobis finguntur aut animadvertuntur, ab externo eas principio formari, mentique, interdum & invitæ, objici necesse est. Equidem fatemur illas ab ipso Deo  
pra-

produci vel animo insculpi: sed sciendum est, quia ipse non sit extensus, per se quoque Deum non producere ideas corporum, verum per corpora quæ representantur iis, quæque proinde non possunt non existere: Neque ignoramus, in mente nostra extare interdum speciem montis aurei aut fluminis lacte vel vino manantis, quæ tamen prodigia in rerum natura non existant. Sed præterquam quod & mons, & aurum, & flumen, & lac aut vinum separata, non commista in mundo inveniuntur: ipsa certè mens nostra est hujusmodi idearum causa libera, utpote quas producit jungendo species corporum diversorum: ideam verò Solis, arboris, &c. pro arbitrio in sese effingere nequaquam potest.

Alterum argumentum pro existentia corporum suppeditant sensus, qui locupletes hoc de negotio testes sunt. Nam arborem videmus, ventum audimus, florem odoramur, cibum gustamus, lapidem tangimus: neque ea in re, si organa sensuum rectè sunt constituta, decipi possumus. Nam secundum ipsum Cartesium dati nobis à Deo sunt sensus, ut illorum beneficio dignoscamus, quæ conservando corpori nostro sint utilia & salubria, quæ item noxia & inutilia: at quomodo de ratione, quæ peregrinis corporibus est cum nostro, sensuum ope judicabimus, si per eos existentiam illorum discere haud tuto possumus? Igitur quando oculi turrim quadratam representant rotundam, aut ædificium magnum pictura diminuunt: recordandum est, neque rem visibilem prope satis ad oculos accessisse, neque magnitudinem aut figuram corporis ad ejus existentiam, sed ad essentiam pertinere; sensuum verò testimonia de priore, non de posteriore in Philosophia audiri.

Probandum nunc est, inter tot tamque diversa corpora esse unum ali-quod mirabile valde & artificiosum, quod peculiariter ad mentem pertineat, & tanquam cum ea conjunctum spectari debeat. Ubi quidem à principio statim allegare nostram nos oportet famem & sitim, quæ mens cibum & potum suos appetit in usus, etsi quum sit res cogitans, iis nequaquam indigeat. Igitur id corpus, cui victum petit, pro suo habet. Deinde læso aut malè affecto machinæ hujus membro dolet acerbè, & longè aliter quàm nauclerus quassatam navis partem miseratur. Iterum quando deambulare constituimus, spirituum pedumque motus promptè nostræ obsequitur voluntati: sed aliena de loco suo corpora dimovere mens solo arbitrio nequit. Quare concludimus, id corpus esse nostræ mentis, seu mentem à Deo cum illo sociatam, ad plerumque actionum & passionum communionem.

Non arbitror, operam nos omnes esse perdituros, si pauca de miranda hac corporis & mentis conjunctione hoc loco apponamus, quoniam id argumentum multarum non minus piarum quàm jucundarum meditationum occasionem largiter suppeditat. Ut verò & certior & evidentior nostra fiat disputatio, explicandum prius est, quomodo corpus cum corpore, & spiritus  
cum



❁ ❁ ❁

cum spiritu jungatur, quàm ad declarandam corporis & mentis conjunctionem accedemus.

Itaque corpus cum corpore jungitur superficie extrema, quàm unum alterum tangit, postquam motu ad illud delatum est. Spiritus cum spiritu non aliter jungi intelligitur, quàm ubi alter alterius sive intellectum sive voluntatem, sive utramque facultatem cogitatione sua ad certum cogitandi modum determinat: v. g. quando in cælo Angelus unus cogitat de morte Filii Dei pro genere humano tolerata, illa ipsa cogitatio oritur & in altero Angelo socio ad laudem Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti. Quando Pomponius bene vult Cajo, in isto mutua voluntatis nascitur erga Pomponium propensio. Quum anima humana Filii Dei cogitat in vita cælesti de ineffabili amore Dei Patris erga miseros homines, mox ea ipsa cogitatio in omnibus & humanis & Angelicis mentibus formatur: & vicissim quando mentes beatæ cogitant de gloria ac beneficiis Filii, divina & humana ejus voluntas iis beatorum cogitationibus acquiescunt. &c.

Corpus dicitur esse conjunctum cum spiritu, quando cogitatio spiritus determinat statum corporis, & vicissim status corporis certam in mente vel spiritu producit cogitationem. Ita propositum mentis de ambulando sequitur decursio spirituum animalium è cerebro in musculos pedum: vulnus autem pedi inflictum excitat in mentem confusam & stupidam injucundamque illam cogitationem, quæ dolor appellatur. Facultates mentis duæ sunt, intellectus & voluntas, quarum utraque à corpore patitur: nam per sensus, imaginationem ac recordationem occasione motus spirituum animalium in cerebro, oriuntur certæ perceptiones à purè intellectualibus, quas vocant, distinctæ: voluntas verò determinatur ad varia desideria, quibus absque hoc illòve corporis motu nunquam teneretur, uti sunt appetitus cibi, potus, Veneris, medicamentorum. &c.

Corpus menti à Deo datum est instrumentum quod uteretur ad quasdam actiones secundum legem divinam: quare uti penna sequitur ductum scriptoris, & malleus pulsus fabri, ita corpus est obnoxium nutui vel arbitrio mentis, ad implenda ejus desideria: quæ omnia sunt vulgata, & usu quotidiano cognita cunctis præter eos, qui ad mentis corporisque sui statum & actiones parum attendunt.

Nexus autem iste cogitationum animi & status corporis humani nequaquam pender ab essentia utriusque substantiæ tam arcto vinculo secum invicem conjunctæ: nam quia sunt diversissimæ naturæ, altera quidem cogitans, altera verò extensa, una in aliam per se agere nequit: sed Deus Conditor istud vinculum ligavit in prima creatione; ut enim con-

didit

❁ ❁ ❁

didit certum mentium numerum, quæ absque corporeis hisce organis gloriam Creatoris illustrarent: sic & quasdam mentes sociavit cum corpore, seu lege Creatoris voluit, ut certarum mentium cogitationes determinarentur à corpore, & vicissim corporis status definiretur à cogitationibus mentis. Quamobrem convenit, ut Dei conditoris sapientiam, libertatem ac potentiam laudemus & agnoscamus, quàm primùm cogitamus, hominem è duabus tam diversis substantiis coaluisse. Nam Deus quoque hunc in finem manifestè nos docet, si ad ea quæ in nobis & à nobis fiunt, paulò diligentius attendimus, semet esse auctorem mirandæ hujus conjunctionis, non autem vel mentem vel corpus, vel utriusque partis consensum & conspirationem: etenim neque omnes cogitationes mentis determinantur à corpore, neque omnes corporis actiones fiunt arbitrio & imperio mentis: corpus enim absque jussu mentis crescit vel decrescit, respirat, à circumacto sanguine fovetur, &c. mens autem contemplatur ideas intellectui suo impressas, quanquam minimè corporis motu eam ad meditationem incitetur. Quòd ergo nonnullæ actiones animæ & corporis sunt connexæ, non omnes, documento est, istum nexum neque à mente neque à corpore esse factum, sed à causa externa, Deo Creatore.

Equidem lege fanciverat Deus, ut ne mens imperaret corpori ullam actionem voluntati conditoris adversam, aut occasione corporis susciperet cogitationem Deo displicentem, supremoque hoc dominio indignam: at homo occasione rei vetitæ per visum, atque adeo per sensum corporeum menti propositæ cogitavit illicita: quare & corpori traditus est in servitutem, ut occasione motuum corporis non nisi prava queat & impura cogitare, & quando velit dominari motibus iis corporeis, corpus tamen motus eos retineat, & in voluntatem tam potenter retroagat, ut ipsa denique mens suo parere & obsequi organo necesse habeat. Atque hæc causa est, propter quam in Scriptura Sacra corruptio nostra lex peccati in membris appellatur. Et corpus morte debet dissolvi ac dissipari, ut cessent denique motus mentem ad pravas cogitationes determinantes.

Quando autem mens reapse dominatur motibus corporis, & per eos ad cogitationes sanctas ducitur, aut illos sedat ac compescit, ne iis incitata malè cogitet: minimè id accidit potentia vel potestate voluntatis nostræ, corporis aliàs servituti obnoxia, sed virtute principii externi, Spiritus S.

Cæterum ut corpus aptum sit mentis certas ad operationes instrumentum, non requiritur nisi concinna & idonea singulorum ejus membrorum dispositio & pulchra secum invicem coagmentatio: moles verò & statura ingens nihil eo faciunt, quod si enim exiguum & breve corpus pygmæi non minus inservit ipsius menti quàm corpus hominis proceri, nulla dari potest

\*\*\*

ratio.



❁ ❁ ❁

ratio, quare tenella membra per se sint ineptum organon, cuius occasione mens infanuli nequeat habere dignas Deo Creatore & Liberatore cogitationes. Profecto neque magnitudo neque parvitas calami facit ad bene aut male scribendum, sed apta illius sectio. Quapropter quod mens infantum nostrorum non eas ope corporis edit operationes, quas ab adultis proficisci cernimus, non exigua illorum statura in causa est, sed vitium organi pariter ac mentis, peccato primo introductum. Integri enim & sancti si generassent primi parentes, quis dubitet, ipsorum liberos non tantum à prima infantia, sed jam ipso in matris utero, occasione corpusculi recta & Deo digna cogitaruros fuisse? Unde manifestò apparet, ut infantes sive ante partum in utero matris extincti, sive post partum in tenella ætate defuncti, apta fiant in altera vita amplificandæ Dei laudis instrumenta, nequaquam opus esse, ut statura ipsorum augeatur: imo sapientiam ac bonitatem & potentiam & libertatem Conditoris tantò esse majorem, quantò plura & magis diversa paravit illustrandæ gloriæ suæ organa.

Porrò ex ista de conjunctione mentis cum corpore doctrina declarari aliquatenus potest arduum illud de peccati propagatione caput, clareque ostendi, quam sit omnis miseræ nostræ culpa penes hominem, nulla penes Deum. Nam primò certum est, mentem primorum parentum occasione corporis sui mala cogitasse, qui consequenter corporis motus ab effectu factus est pravus & malus, i. e. mentem ad nova sollicitans peccata. Secundò constat, in Adamo ac Eva semen fuisse ex quo singuli post homines, Christo excepto, qui non nisi est mulieris semen, decursu temporum gignerentur. Unde tertio constat, quum corpus primorum parentum motu perverso ac pravo moveretur, eundem motum non potuisse non communicari semini posterorum, utpote quod erat pars corporis Adami ac Evæ. Quarto, ut dictus motus corporis in primis parentibus fuit occasio malarum cogitationum, quia sic voluerunt: ita & malus motus seminis posterorum non potest non in ipsorum mentibus, quandocumque cum corpore junguntur, impias excitare cogitationes. Adde quintò, non modo occasione corporis primo moti moveri secundum & ita deinceps, sed & mentem primam, Adami Evæque, sua cogitatione determinare mentes reliquas ad hoc aut illud cogitandum.

Atque ista quidem nunc de mentis & corporis conjunctione dicta sufficient: duo saltè adhuc altius indaganda eruditus proponimus; alterum quidem, annon mens existat ante formatum & coagmentatum corpus, cuius particulæ tamen omnes ac singulæ jam existunt, sed dispersæ in mundo seorsimque positæ: alterum verò, annon mens, quemadmodum à corpore ad certas determinatur cogitationes, postquam est cum eo conjuncta, ita quo-

que

❁ ❁ ❁

que nonnulla cogiter occasione seminis ac cæterarum particularum, unde aliquando organon accipiet. Prius sanè affirmant Platonici, Judæi, & egregii multi veteris Ecclesiæ Doctores: & posterius absurdum non videbitur, si consideremus, destinationem ad conjunctionem jam certam menti ad corpus, & corpori ad mentem indidisse relationem. Unde colligeretur, etiam soluto per mortem vinculo, quo corpus & mens erant colligata, inter antiquos sodales remanere aliquantulam cogitationum ac motuum communionem ac consensum. Ità mens sancta lætaretur sciens corpus suum, peccati instrumentum, & illud præcipuè membrum quo potissimum erat abusa, dissipatum omnino & dissolutum esse: non aliter ac gaudet homicida, facti penitentia ductus, quum novit, gladium quo eadem patravit in ultra centum mille particulas diffractum esse. Absit verò istas ut quæstiones temerè affirmemus, quæ uti nos quidem existimamus, nondum satis sunt disputatæ ab eruditis omniq; ex parte consideratæ, tantum nihilominus momentum ac pondus habent, ut accuratum & curiosum Doctorum examen mereantur.

## Ad secundas Objectiones & Responsiones:

### DE QUÆSTIONE:

#### *An Deus homines queat decipere?*

Contendit Philosophus, omne id esse verum, quod facultate intelligendi clarè ac distinctè percipiatur, hoc maximè nixus argumento: fore Deum deceptorem, si falsa pro veris mentis ob oculos ponat: quippe tum deceptionis culpam nec esse in intellectu, qui rem sibi objectam bene percipiat, nec in voluntate, quia non assentiatur temere ac citò nimis, sed post diligentem attentionem, claramque perceptionem; atqui Deum esse optimum, ac proinde homines decipere haud posse.

Igitur Auctor secundarum objectionum studet infirmare, quod pro certo sumit Cartesius, monetque secundum nonnullos Scholasticos posse Deum absoluta potestate mentiri, sive contra animum decretumque suum hominibus quid significare: unde sponte sequatur, posse & nos decipere: quam ad thesin probandam diversas alias producit rationes.

Nolumus exscribere ea quæ Renatus Marino Merfeno ita disputanti ex ore cum Philosophorum, tum Theologorum, respondit: sed ipsum argumentum breviter declarate conabimur, soluturi ea quæ in contrariam partem allegantur.

Primum itaque adserimus, neque mentiri Deum, neque homines decipere



pere posse. Alterutrum enim quum faceret, semet ipse negaret, à quo tamen, Paulo teste, est alienissimus. Est namque Deus veritas, quando autem pro veritate falsum sive loquitur sive humano intellectui proponit, nequaquam testatur se veritatem esse, sed mendacio delectari videtur. Decet utique perfectissimum Ens tale se menti creatæ patefacere quale est, secus ab ea non agnosceretur, nec coleretur præstantissima Dei essentia.

Secundò existimamus quoque, pugnare cum intellectu nostri natura, ut in veris falsisque discernendis decipiatur. Ea namque in illo consistit, quod res intelligat, attributa earum ex insitis sibi ideis animadvertat: at, si pro vero falsum, pro re una alteram ipsi contrariam apprehenderet, rem utique non intelligeret. Oculus cessat esse oculos, quam primum tenebras pro luce & lucem pro tenebris captat: & intellectus amittit naturam suam, vel desinit esse facultas intelligendi, quando non intelligit.

Equidem post lapsum primorum hominum amissimus uti voluntatis sanctitatem, sic & intellectus lucem, qui proinde non modò cæcus & tenebrosus, sed ipsa caligo in sacris literis nominatur. Verùm sciendum est, hanc intellectus corruptionem esse merum defectum idearum, quibus essentia Dei ac cæteræ res ad nostram cum Deo communionem pertinentes exprimentur, non autem positivam aliquam facultatem falsa pro veris ac vera pro falsis percipientem. Nemo miretur quod dicimus, carere nos idea essentiam Dei representante: nam aliud est habere ideam entis perfectissimi vel infiniti, quæ & misero intellectui inest: aliud item habere ideam essentia Dei Patris, Filii & Spiritus S. homines per ætæternam secum communionem beantis.

Quandoquidem ergo mens nostra est destituta specie Dei, summi nostri boni, & nihilominus flagrat beatitudinis desiderio, accidit ut felicitatem quærat in rebus, quas temere putat ipsam præstare posse, neque iis vult mediis consequi, quæ sola queunt beare, sed quæ naturali vitio ipsi sunt ignota. Et quum ea media intellectui proponuntur, voluntate respuuntur, quia mens corrupta iudicat, id verum esse haud posse, cuius sibi idea desit. Quare quando homo amat essentiam Dei Patris, Filii & Spiritus S. tanquam summi boni, nova oportet lux divinâ gratia accendatur in intellectu ad ignotum hoc beatitudinis medium clarè distinctèque percipiendum. Haud quidem ista lux est idea adæquata, & essentiam Dei Patris, Filii & Spiritus S. hominem miserum ad sui gloriam beantis plenè planeque in mentis tabula depingens: nam in altera demum vita ejusmodi ideam consequemur, si non simul ac semel, quo de nihil adhuc velim affirmare, saltem successu temporis perpetui; sed est imperfecta valdè & obscura pictura Deum Salvatorem adumbrans.

Quæ Merfennus ex aliorum mente allegat, facile refutatur. Primum ait, Deum comminationes suas quandoque non implere, uti liqueat in Ninivitarum exemplo,

exemplo, quibus sit annunciatum falsò excidium jussu divino. At quemadmodum promissiones, ita & comminationes non significant nisi nexum insolubilem quo præmium & obedientia, pœna & legis violatio sunt colligata. Hinc utraq; pendent à conditione legis aut præstandæ aut violandæ: & sermo quo proponuntur est verissimus, ex animo quoque veracissimo profectus, si mea præcepta servabitis, vos protegam: si negligetis, vos excindam. Ex eo verò sermone haud potest constare, si ne à Deo observatio vel negligentia legis, remuneratio an pœna decreta: ac solus eventus nos in cognitionem hujus decreti adducit. Igitur multò minus iste sermo cum decreto Dei pugnat.

Secundò colligit: Deus Pharaonem induravit & obcecavit: E. & nos decipere potest. Respondemus: Pharaon momento primo, secundo ac tertio noluit parere voci Divinae: idcirco Deus justo iudicio voluit, ut nec momento quarto, quinto & reliquis ipsam audiret. At studiosus veritatis indagator momento primo, secundo ac tertio suo ritè fungitur officio, attendendo seu facultatem intelligendi ad rem propositam applicando: quare Deus eum nequit punire decipiendo aut falsa verorum instar ipsi objiciendo. Igitur rectè momento quarto iudicat, id esse verum quod attentione diligenti clarè percepit.

Tertiò, ait, decipit sine dubio Deus Regem Achabum, mittendo spiritum mendacii in animum atque os fallacium vatum, qui falsò ipsi victoriam pollicerentur. Respondeo: a. Deus in Regis impii intellectu minimè ostendit falsa instar verorum: sed justo iudicio voluit, ut Achabus dictis mendacibus fidem haberet, priusquam ea examinasset, & norma veritatis probasset. b. Achabus antea peccarat, ideo punitur: at homo noster, quem clara perceptione à Deo posse decipi negamus, præstat officium, & facultate intelligendi divinitus accepta, sicuti debet, utitur.

Quartò inquit: Medicus ægrum, & Pater filium quandoque decipit utiliter: nonne & Deus ita sese erga nos gerere potest. At Pater ac Medicus innocenti hac utuntur fraude, quia ægotum vel infantem alia ratione suos ad nutus flectere nequeunt: contra potentem ac sapientem veracemque Deum decet, voluntatis hominum luce intellectus flectere & sua ad obsequia ducere.

Quintò denique addit Merfennus: si Deus puram nobis ostenderet veritatem, quis eam oculus, quæ mentis acies sustinere valeret? Sed Rhetoris porius quam Philosophi hæc est exclamatio. Nonne enim uti oculos ad videndum lumen & percipiendos colores, ita intellectus ad intuendam veritatem à Deo conditus est? Fateor haud nos finita imbecillique nostra mente integrum veritatis systema simul & primâ statim attentione contemplari posse: quando tamen à simplicissimis & facillimè cognitis veritatis præceptis incipientes recto ordine progredimur ad ea quæ proximè insequuntur, atque ab his ad remotiora & difficillima scitu pergamus, dubium nullum est, quin laudabiles in

\*\*\*


scientia



scientia veritatis profectus sumus facturi. Equidem nesciunt pueruli à principio legere librum dubiis & obscuris characteribus excusum, scripturamque ejus intelligere: at quum primùm imbuuntur cognitione Alfabeti, atque deinceps ex literis componere syllabas, & è junctis syllabis formare discunt voces integras: certò tandem fiunt periti legendi & intelligendi libros primò faciliores, deinde & difficiliores. Eadem percipiendæ veritatis ratio, eadem methodus est. Quapropter & natura menti quatuor operandi modos discendæ veritati inservientes dedit, quorum primus est simplex perceptio, secundus judicium, tertius ratiocinatio, & quartus tandem methodus, sive apta perceptionum simplicium, judiciorum & ratiocinationum dispositio, & concatenata connexio.

Antequam istud finiam caput, lubet monere, quod rectè & sanctè philosophaturus debeat utique pro certissimo in principio ponere, & intellectum suum esse cœcum ac præcipuis ideis orbatum, & voluntatem naturali corruptione tendere & inclinari ad præcipitia judicia de rebus ignotis. Quare non probo quòd Cartesius facultates mentis consideravit quales in se sunt, absque intuitu vitii ipsis agnati. Et quisquis non attendit ad miserum animi sui statum, omittit potissimas veritates, quas si non bene percipit, tota ipsius cognitio est fundamento destituta. Et certè ipsa, quæ Renatus primùm inculcat sapientiæ cultoribus, orationi meæ fidem faciunt. Nam solere nos, ait, præcipitata ferre judicia de rebus ignotis, ideoque in errores incidere, quos ut in posterum effugiamus, semel in vita omnia esse præjudicia deponenda, dubitandum de omnibus, &c. Verùm enimvero unde nostra proficitur incertitia nisi ex defectu & jactura idearum præcipuarum, quæ menti inesse deberent? Cur rebus non perceptis assentimur, nisi quia ad id incitatur pravitate voluntatis? Quare igitur duobus illis Philosophi præceptis proximè post cognitionem Dei non subjicienda essent monita de intellectu & voluntatis corrupto statu? Ita quidem fiet, ut ab humanarum rerum notitia constanti cupiditate feramur ad discendas veritates de remediis miseriæ, tantoque eas audiamus libentius & scrutemur diligentius, quanto magis earum scientiam esse necessariam ad consequendam beatitudinem animadvertimus!

Ad



## Ad Responiones quartas, DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ:

*Num de pane & vino, post factam consecrationem, sola remaneat superficies, quæ nostros sensus afficiat?*

**A**ffirmat Cartesius, ut se contra accusationem negati transubstantiationis mysterii defendat, postquam est infitatus, dari accidentia realiter à substantia distincta, quæ à sublata substantia seorsim existere queant, & in Eucharistia sacra seorsim existant. Ex eo verò quòd post factam sacrorum signorum consecrationem relinquatur aliquid sensus afficiens, colligit nihil aliud id posse esse præter superficiem panis & vini, quoniam omnis sensus & actio corporis fiat per contactum, atque contactus in sola sit superficie. Per superficiem non intelligit ullam substantiam panis aut vini partem, sed tantummodo terminum illum, qui medius est inter singulas ejus particulas, & corpora ipsas ambientia, quique nullam planè habet entitatem nisi modalem. Concludit tandem, hanc extremitatem tam corporis contenti quam continentis, neutrius quidem partem esse, sed utriusque modum, qui possit manere, quamvis ista corpora tollantur, modo tantum alia quæ sint ejusdem accuratè magnitudinis & figura in ipsorum loca succedant.

Atque ista sanè dum commentus est vir ingeniosus strenuè laboravit, ut se deciperet, aut decipere velle simularet ad amolienda à se Theologorum suæ communionis odia. Nam a. haud ignoravit, unumquodque corpus præditum esse propria superficie, & superficiem unam haud posse modum esse duorum corporum. ß. Docuit alias ipse, principium operandi esse non modum corporis, sed corpus ipsum, variis modis vestitum: *Princip. part. IV. §. 191. 192. 193.* Item modum non remanere posse ablatà substantià, superficiem autem modum esse agnoscit: *Nihil potest intelligi remanere, ipsius sunt verba, nisi quod subsistat, & quamvis verbo vocetur accidens, concipi tamen ut substantiam.* γ. Minimæ corporis ablati & succedentis particule, ut modo eodem sensus nostros afficiant, debent non solum ejusdem esse magnitudinis ac figuræ, sed & eundem planè situm, motum & quietem habere, quod de sacris signis deque corpore Domini nemo affirmabit, quemadmodum & manifestò falsum est, panem ac vinum carnemque & sanguinem Christi eadem superficie contineri.

Ad



Ad Responsiones quintas & sextas,

DE QUÆSTIONE:

*An Essentia rerum sint æterna?*

Et,

*Num & ipsæ & veritates omnes pendeant à voluntate Dei?*

Vulgatum & antiquum est Scholæ effatum, *essentias rerum æternas esse*. id est, non quidem existere ab æterno, sed esse immutabiles, ac propositionem hanc semper veram: *homo est animal*, licet ne unicus homo viveret. Fortè commodius & clarius idem exprimeretur si dicamus, ideas omnium rerum in intellectu divino esse ab æterno, & quidem immutabiles, v. g. corpus semper objici menti Dei ceu rem longam, latam & profundam, Spiritum ceu rem cogitantem, neque aliter objici posse, secus Deus opera sua non perciperet talia, qualia sunt. Agnovit utique Cartesius ista, sed & putavit, cum essentias creatas, tum veritates omnes à sola Dei voluntate originem habere, & ab ea sic dependere, ut potuisset Deus velle, corpus non esse rem extensam in longum, latum & profundum, bis duo non esse quatuor, triangulum non habere tres angulos, nihil enim ex se esse necessarium præter solum Deum, &c. &c. Respondemus *a*. Quicquid est, est & tale est, quia Deus vult ut sit, & tale sit. *β*. Qualem rem Deus esse vult, talem quoque intelligit, & quia ab æterno vult talem esse, ab æterno quoque talem percipit. *γ*. Quoniam nulla res finita est, antequam Deus vult ut sit, interrogari haud debet: num ei Deus potuerit velle aliam dare essentiam; hæc enim quæstio ponit, eam rem ante voluntatem Dei jam fuisse. Igitur *δ*. interrogatio ista: num potuerit Deus velle ut corpus non sit res extensa? aut hunc aut nullum habet sensum: num Deus rem quam voluit extensam esse, potuerit alio quam nomine corporis appellare, v. gr. spiritus: quod affirmo, quia istæ voces, *res*, *corpus*, *spiritus*, nullam per se essentiam designant, nisi quam Deus iis designare voluit. Pariter *ε*. vult Deus, duas unitates appellari numerum binarium, ex duobus binariis confici quaternarium, sed & hunc quaternarium potuisset vocare quinarium, &c. at quia semel voluit, ut numerus è duabus unitatibus conflatus nominaretur binarius, non potuit non velle, ut si & altera vice jungerentur duæ unitates, eadem binarii nomenclatione insignirentur. Ex quibus arbitror liquere, nonnisi de vocabulis litrem moveri.

Ad

Ad librum de Meritis Gisberti Voëtii.

SI penes Editorem staret, libros uti recensere, ita & inducere atque abolere, sego quidem acerbissimum istud scriptum contra Virum pium & de re literaria & Ecclesiastica bene meritum, atroci calamo compositum, delevissimè universum & publica luce privassimè in perpetuum. Sapientem enim & recti animi scriptorem haud decet criminari, vel accusationem mutuis depellere conviciis, sed modesta defensione judicis captare benevolentiam, & innocenti sermone fidem sibi in lectoris animo facere. Sed quia nec licet Editori, nec probat infausi seculi genius, bellicosas & amarissimo felle tinctas abdere chartas aut omnino abolere: sufficit improbare, quæ mutare est nefas, laudare autem Christiana mansuetudo vetat. Non quidem prorsus displicent, quæ Auctor habet de illo doctrinæ genere, quod consistit in *Notitia Indicum*, vel Scriptorum qui aliquod argumentum tractant: sed neque quadrant ea in Virum magnum, quem libro suo exagitat, neque hi *Indicum* & *Summariorum* inspectatores è Rep. literaria sunt procul ejiciendi, verùm eo saltem loco collocandi, quem in Cancellariis occupant *Registratores*, quorum operæ quandoque & Sapientissimi Principum Consilarii egent.

Ad Principiorum Philosophiæ

PARTEM I.

§. VI.

Magnas profecto contentiones excitarunt ea, quæ hoc loco Auctor de libertate voluntatis ad errores evitandos scripsit: *hanc nihilominus in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab iis credendis, quæ non planè certa sunt & explorata, possimus abstinere, atque ita cavere, ne unquam erremus*. Quare breviter ambiguum sententiam declarabimus. Et *a*. quidem certum est, errorem aut mendacium, aut positionem dubiam per se haud eâ pollere vi, ut voluntatem in assensum trahat, nam lege creationis nonnisi clara ac distincta perceptio cum voluntatis inclinatione à Deo colligata est: & quando inclinatur mens ad rem nondum rectè perceptam, neglecti officii culpam contrahit, à qua foret immunis, si data errori virtus esset pelliciendi in assensum voluntatem. *β*. Hinc quando voluntate nostrâ in errorem consentimus, facimus id quia consentire volumus, i. e. quia voluntate lubentes abutimur. Et *γ*. quando quidem abusi eâ ad errandum semel sumus, nostrâ culpâ determinamur ad eâ porro abutendum, i. e. porro erramus, quia porro errare volumus.



mus. Inde d. constat, nos posse non errare, si velimus non errare. Sed denique s. tam sumus pravi corruptique ut errores amemus, eoque effugere nequeamus. Qua ratione simul agnoscitur voluntatis malitia, libidoque errandi, & omnis tamen errorum nostrorum culpa in voluntatis abusum transcribitur. Hæc sanè ipsa opinio nisi fuit Philosophi, saltem esse debuit, utpote quam præter scripturam recta ratio & conscientia firmat. Equidem haud ignoramus, eum considerare mentem nostram quatenus erat in puro naturæ statu, ab erroribus & vitiis adhuc immunis: sed & supra jam monuimus, ab ipsis quoque Philosophis ceu seductam ad errandum & depravatam spectari debere.

§. 25. Verè monet Cartesius, illud quoque credendum esse quod Deus revelet, etsi naturales ingenii nostri vires excedat, contra quam assertionem seculo præterito disputavit Faustus Socinus. Etenim illarum rerum, quæ solum ex oraculis Dei cognoscuntur, nullæ sunt menti ideæ impressæ, atque adeo ejusmodi mysteria, uti sunt sancta Trinitas, admiranda Filii Dei incarnatio, aliaque doctrinæ Christianæ capita, clarè distincteque à nobis percipi nequeunt, etsi ea divinitus esse tradita literis sacris evidentissimè videamus. Nempe defectus idearum nostri arguit intellectus cæcitatem & ignorantiam, sed ex ea colligere velle, ipsas res ignotas non existere, extremæ est impudentiæ: quis enim haud rideret falsè, vel acriter reprehenderet stoliditatem hominis insipientis Americam esse, quoniam eam nunquam viderit? Et verè doctrina, quæ cum ideis natura insitis pugnat, minimè est pro divina habenda: quippe quia ipso à Deo insculptæ animo hæc sunt rerum species, omnia autem & singula quæ à Deo proficiuntur, perfectissimè inter se consentiunt.

§. 28. Semel atque iterum inculcat Rhenanus, naturalis sapientiæ studiosum haud oportere fines rerum scrutari. Nam præter ea quæ hæc differit, in Medit. III. scribit: *Cum enim jam sciam, naturam meam esse valde infirmam & limitatam, Dei autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio, illam innumerabilia posse, quorum causas ignorem, atque ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod à fine perit solet in rebus Physicis nullum usum habere existimo. Non enim absque temeritate me puto posse investigare fines Dei.* Sed arbitramur posse quaestionem & amplius & accuratius, atque à Cartesio factum est, sequentibus effatis explanari. I. Naturalium rerum indagator utique non debet finem pro causa efficiente allegare, quod facere Peripatum & Platonem fusè redarguit. *Venerulam l. 3. de augm. scient. c. 4.* II. Corpora omnia certum sunt condita & adhuc conduntur in finem. Nam quia Deus est sapiens, nihil agit frustra, sed quicquid facit certum ad scopum dirigit. III. Et quia perfectissimus est, cum

eum propter finem agit, qui ipsum maximè decet: decet verò Deum, ut ex iis quæ facit, attributa ipsius appareant. IV. Atque is operum divinarum finis est summus, principalis & ultimus, diligenter ideo inculcandus, ut ne rebus à Deo conditis abutamur. Sed V. præter hunc finem summum ac principalem universalemque, dantur & alii operum actionumque Dei fines particulares, & subalterni, ut vocant, noti aliqui, aliqui ignoti, seroque demum eventu, vel peculiari monito divino indicati, quos posteriores qui temere scrutabitur, operam perdet.

§. 34. Vanam puto litem esse quæ intercesserat de quaestione: Judicium ad intellectumne pertineat, an ad voluntatem? Nam & bene & satis clarè docet Auctor, ad utramque facultatem referendum esse. Quando enim judicamus, mente primum rem judicandam percipimus? deinde in perceptam consentimus, vel ab ea dissentimus: est verò manifestum, perceptionem intellectui, & consensum vel dissensum voluntati tribui.

§. 51. Secundum Philosophum gemina est classis substantiæ, quarum altera quidem *Infinitam* hancque unicam, Deum Conditorum, altera autem *finitas*, hasque plures ac diversas continet. D. S. Spinoza sublato omni eo discrimine, unicam modo substantiam esse contendit: per substantiam intelligens *id quod in se est, & per se concipitur, h. e. id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debeat.* Una, inquit, substantia non potest producere aliam, quia nihil inter se habent commune, utpote cum habeant attributa diversa, secus enim duæ non forent substantiæ. Quod earum rerum, quæ nihil inter se habent commune, una non possit alterius causa esse, probat inde: quod *qua nihil commune cum se invicem habent, etià per se invicem intelligi non possunt, effectus autem cognitio à cognitione cause dependet.* Tam scilicet imbecilli sophismate argutum caput omnes & Philosophiæ & Theologiæ rationes non turbare sed abolere voluit? Equidem aequo seire, rem quandam esse effectum, nisi sciam dari ejus causam, neque possum nosse, rem esse causam, nisi norim illam produxisse effectum. Nam causa & effectum ad se invicem referuntur, alteriusque conceptus conceptum alterius involvit. Verùm oportet attributa rerum absoluta discernere à relativis, quæ Spinoza temere confudit: absoluta enim duarum substantiarum attributa sunt maximè diversa, neque cognitio unius pender à cognitione alterius: sed relativorum attributorum notitia mutua est. Equis enim in dubium vocat, sciri posse historiam Alexandri Magni, ignota licet Philippi Macedonis vita? & cognoscere haud possumus Alexandrum M. esse filium Philippi, nisi sciamus, Philippum esse Patrem Alexandri. Ut autem norim, substantiam posse esse causam, sufficiat nosse, ad absoluta ejus attributa pertinere vim efficacem, quæ causa esse possit, & quo intelligam, substantiam

\*\*\*\*2

alteram



alteram esse effectum, scire satis est, inter ejus attributa absoluta non comparere tantam perfectionem, quã à se ipsa existat.

§. 54. Quemadmodum Renatus magnam in Philosophia prima navavit operam, corpus uti à spiritu rem extensam à cogitante discerneret, eoque mentem nostram etiam post machinã hujus terrestris dissolutionem existere evinceret: ita *Thomas Hobbes* omni ingenii quo pollebat vi, studuit spiritus ad corporum classẽ aggregare, & cogitationes cum subtilioribus corporum moribus confundere: quã sententia cum sese facillẽ commendavit, & commendet quotidie Viris magnis, qui ea in quã ipsi nolunt laboriosẽ inquirere, pro superstitione ducunt, si ab aliis credantur: operã pretium forsitan erit, diligentius tanti momenti philosophema expendere. Itaque primò ipsa *Hobbesii* verba ex illius scriptis producemus: deinde hominis placita arctis positionibus comprehendemus: ac tertio denique iudicium de iis breve suis sultum rationibus subjungemus.

*In Object. tert. contra Medit. II. scribit p. 80. 81. Sum res cogitans;*  
rectè. Nam ex eo quod cogito, sive phantasma habeo, sive vigilans, sive somnians, colligitur quod sum cogitans. --- Omnes tamen Philosophi distinguunt subjectum è suis facultatibus, & actibus, h. e. à suis proprietatibus & essentiis; aliud enim est ipsum ens, aliud est ejus essentia; potest ergo esse, ut res cogitans sit subjectum mentis, rationis, vel intellectus, ideoque corporeum aliquid. --- Atque hinc videtur sequi, rem cogitantem esse corporeum quid; subjecta enim omnium actuum videntur intelligi solummodo sub ratione corporea, sive sub ratione materia.

*In libr. de Civ. Cap. 15. §. 14.* Quando attribuimus ei (Deo) visionem & ceteros sensuum actus, vel scientiam & intellectum, quã in nobis nihil aliud sunt, quã suscitatus è rebus externis organa prementibus animi tumultus, non est putandum aliquid tale accidere Deo, signum enim est potentia ab alio dependentis.

*In Leviath. Cap. 1.* Cogitationes hominum, primò sigillatim, deinde alias ab aliis dependentes, ut in serie considerabo. Ipsarum unaquãque alicujus qualitatis, vel accidentis in corpore externo, quod appellari solet objectum, est apparitio sive representatio. Quod objectum agendo in corporis humani organa, nempe oculos, aures, &c. pro diversitate actionis diversas producit apparitiones. Origo omnium nominatur sensus. Nulla enim est animi conceptio quã non fuerat ante genita in aliquo sensuum, vel tota simul vel per partes. Ab his autem primis conceptibus omnes postea derivantur. *Cap. 11. Simul ac cor-*

pus



pus movetur, movebitur (nisi aliud corpus obstat) in æternum. Neque id quod obstat motum hunc in instanti, sed in tempore & gradatim extinguit. Sicut in mari videmus fieri, ut cessante vento non statim cessant fluctus: ita quoque in motu illo contingit, qui est in partibus internis hominis, tunc cum videt, somniat. Postquam enim objectum remotum est, vel oculus clausus, imaginem tamen rei visã retinemus, quanquam aliquando obscuriorem. Atque hæc est imago, à qua facultatem appellamus imaginationem. Phantasmam Græci & melius vocant, à quocunque sensu oriatur, imago autem propria est rerum visibilium. Imaginatio ergò nihil aliud est quã sensio deficiens, sive phantasma dilutum & evanidum, & est hominibus cum animalibus ceteris ferè omnibus communis, sive vigilant sive dormiunt. Itaque quantò à visione vel sensatione alicujus objecti longius est tempus, tantò dilutior est imaginatio sive phantasma. --- Sensationis dilutionem hanc, rem ipsam indicaturi, nempe ipsum phantasma, nominamus ut antè dictum est *imaginationem*, quando autem significare volumus *dilutionem*, appellamus memoriam, adè ut eadem sit res imaginatio & memoria, sed propter diversas considerationes diversis nominibus significata. Memoria multarum rerum *experientia* dicitur. --- Imaginationes dormientium sunt somnia. --- Inter somnia & cogitationes vigilantium distinguere difficillimum tunc est, quando casu aliquo factum est, ut minimè animadvertamus, nos dormiisse; id quod facillẽ contingit illi, qui facinoris alicujus facti vel faciendi conscius, & sollicitus dormit sine circumstantiis exuendi vestes, & eundi cubitum; ut qui in cathedra dormit sedens vel reclinatus. --- Qui perfectè vigilant, si metuosi, superstitiosi, fabulis rerum terribilium occupati sint, & in tenebris soli ejusdem generis imaginationibus obnoxii sunt, creduntque se umbras & mortuorum spiritus ambulantes videre in cœmeteriis, cum tamen revera nihil videant præter mera phantasmata: vel decepti sunt ab hominibus improbis; qui timore eorum superstitioso abutuntur, eo fine ut possint ipsi amici vestibibus defunctorum noctu per cœmeteria aliãque loca consecrata ad loca transire, quã nimium à se frequentari videretur inhonestum. Ab ignoracione hac distinctionis somniorum aliorumque phantasmatum vividorum, à visione & sensatione, maximè ex parte orta est antiquorum Gentilium religio, Satyros, Faunos, Nymphas & similia colentium spectra, hodieque opinio quam habent populi rudes de Lamiis & Lemuribus, & de

\*\*\*\* 3

potentia



potentia sortilegorum --- Imaginatio, quæ in homine, aliòve  
animali, à sermone vel aliis signis voluntariis nascitur, appellatur *Intel-*  
*lectus*; communisquæ est hominibus cum bestiis. Canis enim consuetu-  
dine doctus vocari se vel abigi à Domino intelliget; quod facient etiam  
alia multa animalia. Intellectus qui homini peculiaris est, est intellectus  
non solum voluntatis, sed etiam conceptuum & cogitationum aliorum  
hominum, per sequelas & contextum appellationum rerum, in affirma-  
tiones, negationes aliasque formulas loquendi conceptio *Cap. III.* Per  
seriem Imaginationum intelligo successionem unius cogitationis ad aliam;  
quam, ut distinguatur à discursu verborum, appello *discursum mentalem.*  
*Et Cap. XXXIV.* Propria ergo significatio *spiritus* in sermone vulgi, aut  
corpus subtile, fluidum & invisibile est aut spectrum, i. e. idolum seu phan-  
tasma: significationes autem metaphoricæ, præsertim in scriptura sacra  
multæ sunt. Sumitur enim aliquando pro disputatione sive inclinatione;  
ut quando dicimus spiritum contradictionis, spiritum immundum, per-  
versum, spiritum Dei. Aliquando etiam accipitur pro eminente quali-  
bet facultate, vel etiam pro morbo animi insolito, ut ubi egregia sapien-  
tia appellatur spiritus sapientiæ; & ubi homines mente capti spiritu dicun-  
tur possideri. Vocabuli spiritus significationes in Scripturis Sacris alias  
non inuenio. --- Negandum tamen non est, quin apparitiones aliqua  
substantialia esse possint. (Quid enim est quod Deus perficere non possit?)  
Neque quin sint (quoties eorum opera Deus utitur) Angeli; habent ta-  
men dimensiones, & siquidem finiti sunt, locum implent & moveri pos-  
sunt; Sed non incorporei. i. e. non sunt nullibi, nec cum videantur esse  
aliquid, sunt nihil. *Angelus*, vox Græca, apud scriptores tam sacros  
quàm profanos significat nuncium; in Scripturis autem sacris plerumque  
significat nuncium à Deo. Nuncius autem à Deo est omne id, per quod  
Deus supernaturaliter præsentiam, sive potentiam suam extraordinariam  
manifestam facit, præcipuè verò in somniis & visionibus. De creatione  
Angelorum in Scripturis sacris disertis verbis nihil traditur. Scriptores  
igitur Ecclesiastici de natura Angelorum dissentiunt. Veterum autem Pa-  
trum aliquot eminentissimi corporeos eos esse putaverunt, alii nonnulli  
incorporeos. Vocantur passim in Scripturis Spiritus. Sed Spiritus cum à  
Scriptoribus Judæis, tum Græcis modo corpora subtilia, ut aër, ventus,  
spiritusque animalium, modò phantasmata existimantur: quæ nec realia  
sunt, nec diutius permanent quàm Somnium & visio, in qua apparent.  
Quæ phantasmata sive apparitiones, etsi substantiæ non sint, sed acci-  
dentia organorum sentiendi, quando tamen à Deo ad voluntatem suam  
præstandam, supernaturaliter producuntur, non improprie nuncii à Deo,  
i. c. An-




i. c. Angeli appellantur. Et sicut gentes phantasmata somniantium sub-  
stantias reales esse existimaverunt, & inde doctrinam tuam de bonis &  
malis demonibus deduxerunt: ita etiam Judæi sine veteris Testamenti au-  
thoritate, tenuerunt fere omnes (exceptis Sadducæis) apparitiones illas  
esse Angelos; nec dependere omnino à Phantasia, sed esse Dei creaturas  
permanentes; & ut Græci, alios eorum esse bonos & Angelos Dei;  
alios malos, qualis erat spiritus Python, & spiritus hominis mente capti  
vel lunatici & epileptici. Nam hujusmodi homines apud Judæos habe-  
bantur pro demoniacis. Si loca Testamenti veteris, ubi Angelorum men-  
tio fit, consideramus, inveniemus, plerumque si non semper per Ange-  
liam divinam in operatione ejus aliqua supernaturali denotari. *Cap. 38.*  
Ante resurrectionem nil habet in cælo quod faciat anima, etsi per se existe-  
ret. Verbum hoc *anima immortalis* in Scriptura S. nusquam, *vita æterna*  
passim invenitur. Item: quod attinet ad tortores, naturam & proprie-  
tates eorum proprie traditas, habemus in nominibus *Satan, Diabolus,*  
*Abbadon*, personam individuum nullam, ut nomina solent propria, de-  
signant, sed officium vel qualitatem aliquam; & propterea sunt appella-  
tiva. Sumta autem pro propriis imperitos fallunt, faciuntque ut spectra  
& demones totidem esse putent, quales adorabant gentes. Quoniam  
autem verba illa significant hostem, accusatorem, & exterminatorem, in-  
telligenda sunt de hoste Ecclesiæ Dei. Si ergo regnum Dei post resurrectio-  
nem futurum sit *terra*, etiam hostes & regnum eorum in terra esse debent.  
Quando enim regnum Dei in Israëlitis erat, regna gentium vicina, pro regnis  
Satanæ habebantur. *Et Cap. 44.* Mihi verò nimis durum videtur de Deo di-  
cere (qui Pater est misericordiarum, qui facit in cælo & in terra quicquid  
vult, in cujus manibus sunt corda hominum omnium, qui in hominibus  
operatur tum facere tum velle, & sine cujus gratia libera nemo habet, ne-  
que inclinationem ad bonum, neque resipiscentiæ à malo) quod peccata  
hominum cruciatibus extremis, majoribus quàm quisquam imaginari po-  
test, & sine fine temporis punire velit.

Fusus ista Hobbesii effata recensere oportuit, quò Lector breves posi-  
tiones nostras, sententiam illius complectens, cum iis conferre, ac certius  
de tam perniciofa doctrina iudicium facere possit. Credit enim

1. Omne ens finitum, quod reapse & per se existit, esse & vocari corpus.
2. Ac proinde non dari spiritus immateriales vel incorporeos.
3. Sed quæ vulgo dicantur de Angelis cum bonis tum malis, pertinere ad fabulas aniles, hominum superstitione & ortas & confirmatas.

4. Nam



4. Nam Angelos bonos, quorum fiat in sacris literis mentio, esse phantasmata præter consuetum nature ordinem producta in nobis à Deo ad voluntatem suam nobis significandam.
  5. Quanquam possit Deus & substantias Angelicas producere, quando iis habeat opus, tum autem fore corporeas ac materiales.
  6. Opinionem verò de Angelis malis accepisse originem à stulta gentium credulitate, Demones malos generique humano noxios metuentium.
  7. Phantasmata enim sua iudicasse primùm nonnullos entia esse vera & extra se existentia.
  8. Quam credulitatem siquidem Rectores populi existimaverint facere ad cives aliàs contumaciores inter obsequii limites coercendos, ab iis studiosè fuisse confirmatum, & in animis hominum nutritam autemque.
  9. Nomen Diaboli, Satanæ non esse personæ sed officii & qualitatis nomen.
  10. Animam nostram à corpore non differre, neque in Sacra Scriptura quicquam designare præter ipsum animal aut vitam ejus, *Cap. 44. Levit. 17.*
  11. Ea propter & cum corpore morte interire, neque ab eo separatam existere post obitum.
  12. Animam tamen electorum die ultimo resuscitari cum corpore ad vitam æternam in terra peragendam: impiorum vel reproborum animas non item, utpote quæ absumantur morte secunda, neque cruciatibus æternis, uti tenebrosa doctrina tradat, torqueantur.
  13. Cogitationem hominis esse apparitionem aut representationem aliqujus qualitatis vel accidentis in corpore externo: cogitationum omnium originem esse sensum.
  14. Imaginationem esse sensationem deficientem, sive phantasma dilutum & evanidum: imagines dormientium appellari somnia: à somniis cogitationes vigilantium distinguere difficillimum esse.
  15. Imaginationem à sermone aliisve signis voluntariis ortam dici intellectum: & imaginationum seriem nominari discursum mentalem.
  16. Volitionem omnem fieri motu: cujus motus apparitio vocetur animi voluptas aut molestia.
- Atque huc redit viri ingeniosi de mente disputatio, tam cupidè à multis credita, quibus nimium est laboriosum, accurata & tranquilla & profunda meditatione rerum discrimina discernere. Non id jam agimus, ut singula periculosissima doctrinæ capita refellamus, sed ostendendum est, mentem vel spiritum à corpore tota essentia differre, & cogitationem cum motu ab Hobbesio temerè confundi. Ubi primò quidem observemus, mensurari omnem posse



posse motum, & magnam esse vel parvam lineam, quam corpus mobile ducit, nequire autem mensurari cogitationem, vel animo lineam ejus fingi. Deinde corpus motu transfertur è vicinia corporum quibus hætenus circumdabatur in viciniam corporum aliorum: quando autem diversis momentis cogitamus de rebus maximè differentibus, in eodem loco manere possumus. Neque sufficit dicere, cogitationem ab una re transferri ad alteram: quia manifestum est, corpus propterea è loco suo non abire. Unde conficitur, cogitationem hæud esse inter motuum, corporis modorum, genera referendum, neque corpus cogitare: sed substantias cogitantes naturam habere à corporibus omnino diversam. Adde rem cogitantem esse actionis suæ consciam, corpus autem ignorare quid agat.

§. 57. Ut ens finitum est vel infinitum: sic & gemina est existentia & consequenter duratio, finita & infinita. Existentia infinita est necessaria, principio ac fine caret, & cum altera mensurari nequit, nedum æquiparari. Vocatur & æternitas, derivaturque à summa perfectione Entis illius cui tribuitur. Existentia finita est contingens, nam ens imperfectum aut finitum potuisset non esse, habet principium, finem habebit quando placebit ei qui principium dedit. Et quia finitum Ens primo existentia momento non existit necessariò, seu virtute suæ essentia, sed libero Creatoris imperio: idcirco & momento secundo, tertio & reliquis posset non existere, vel in pristinum nihilum redire. Oportet ergò ut velit Deus, idem ens momento secundo, tertio & cæteris existere, quæ Dei volitio entis est *conservatio*, sicuti continuatio existentia *duratio* appellari solet. Tempus ad durationem finitæ rei nihil addit nisi proportionem, quæ inter ipsam durationemque aliam notior, constanterque æquabilem, cum qua mensurari solet, intercedit. Unde manifestò liquet, graviter eos errare, qui existimant, æternitatem Dei esse tempus principio ac fine destitutum, nostræque durationis differentias, præsens intelligo, præteritum ac futurum, hodiernum ac hesternum cum illa convenire. Etenim quia æternitas est existentia infinita, pugnat eam finito modulo hesterni, hodierni & craftini posse mensurari. Imò si accuratè philosophemur, neque *duratio* esse censebitur, quandoquidem ea vox continuationem existentia non necessaria, & nexum momentorum per se dissolubilium indicare videtur.

Ad §. 63. 64. Qui negant, mentis humanæ essentiam in cogitandi actu consistere posse, crebro ac vehementer urgent, ita substantiam mutari in accidens, viamque sterna perniciosæ opinioni de mortalitate animæ, etenim cogitationem non esse nisi modum rei cogitantis, substantiam ipsam minimè gentium. At omnis profecto tollitur difficultas, ubi cogitationem generalem in se & abstractè spectatam discernamus cum ab ejus determina-

\*\*\*\*\*

tionem



tionem ad certum objectum, tum à certæ formæ per intrinsecam sui variationem susceptione. Nam quando intelligimus, volumus, dubitamus, affirmamus, negamus, lætamur, dolemus, irascimur, &c. cogitare nos, extram omnem est controversiam positum: sive diversis hisce cogitandi modis unum subternitur fundamentum, cogitatio præcisè & generaliter considerata, quam esse substantiam inde liquet, quod aliud nullum requirat subjectum in quo existat, uti videmus, dolorem, iram, lætitiã, perceptionem, volitionem, &c. esse in re cogitante, quos propterea cogitandi modos Philosophi jure faciunt. Vanum est excipere, rem vel substantiam esse subjectum cogitationis, quippe quæ saltem est notio Logica vel Metaphysica, extram mentem nostram non existens: & propositio hæc: Res cogitat vel est cogitatio omnino inverti debet hoc modo: cogitatio est res.

§. 71. Solenne est nobis de rebus ex sensuum de iis testimonio judicare, quanquam illi sint nobis à Deo dati, non tam ut de rerum essentia, quam de earum ad corpus nostrum ratione testentur. Quapropter necessarium est, ut hos duces secuti in errores incidamus. Nam quia mens humana primùm de re & oculis & auribus oblata malè judicavit, & in altera quidem felicitatem, in altera autem veritatem se invenire, stolidè putavit, hinc factum est, ut sponte de occasione visus & auditus semel decipiens, porro sensuum abusu deciperetur. Et quia corporeæ res à prima statim infantia per sensus in corpus nostrum agunt, hinc à teneris jam annis mens falsa de iis iudicia fert.

§. 74. Quandoquidem ad ideas cogitationesque nostras & alteri patefaciendas & nobismet ipsis designandas voces inventæ sunt, planum est, eos ad errores sive committendos sive evitandos non parum facere. Quodsi enim conceptus mentis exprimamus vocabulis ambiguis, obscuris, vel aliter ad rem quam cogitamus significandam ineptis, facile & nos & alios fallimus. Superiora profecto secula huic asserto fidem faciunt, quibus Doctores quanto fuere ad voces incertas, obscuras, ignotas & horridas excogitandas ingeniosiores, tanto & in gignendis & propagandis erroribus cum multis tum magnis infeliciores. Et ne pristina solum tempora accusantes, nostra mala cæci prætereamus, quis diligens & rectus rerum arbiter est, qui ignoret aut disteatur, ingentem litium & controversiarum partem, quocumque de negotio, sacro, naturali, civili aliisque sint ortæ, sopiri ac tolli posse, si litigantes definitis & claris vocibus animi sensa indicent.

§. 76. Ea quæ hoc paragrapho continentur, monuit Auctor, ut ne à Romana Catholica Ecclesia pro hæretico haberetur, si quando ipsius philosophemata illius placitis adversarentur, ceterum naturæ lumen cum Revelatione pugnare nequit, quandoquidem utraque lux ab eodem Patre luminum

Deo

Deo venit. Pura cernimus ope Scripturæ Sacræ, quæ ad diversos hominis status pertinent, quam recta ratione de iis assequi valemus. At lumen majus non tollit minus, saltem id obscurat, uti nemo dixerit solem esse contrarium a candela quod plura nobis conspicienda præbeat quam debile hoc lumen. Quod attinet ad nonnulla Philosophiæ effata, uti sunt: Ex nihilo nihil fit: à privatione ad habitum non datur regressus: virgo non parit, &c. non agunt ea nisi de ordinariis naturæ viribus, non verò declarant, quid Deus virtute omnipotenti efficere queat, & secundum decretum ab æterno factum efficere velit. Quemadmodum autem in Philosophia nihil est credendum, nisi quod clarè distinctèque percepimus: ita & in Theologia nihil pro vero admittere oportet, præter id quod à Deo sacris literis revelatum esse, planè perspeximus.

### Ad Partem Principiorum secundam.

§. 13. 14.

**A**ntiqua est in scholis Philosophicis distributio loci in externum & internum, quam & heic, paulo tamen aliter ac vulgo fit, explicatam retinebimus. Triplici namque modo corpus isto in argumento spectari potest, ac forsan debet, primùm quatenus ambitur ab aliis corporibus; secundò quatenus ipsius pars circumdatur aliis partibus: & denique tertio quatenus ipsum totum est extensum. Respectu primò dicitur esse in loco externo, respectu secundo in loco interno, & tertio in spatio. Si corpus modo unicum existeret, non foret in loco interno, quia ejus superficies à nullo alio ambiretur: esset tamen in loco interno; nam una ejus pars sita maneret juxta alteram. Locum externum mutat corpus, quando totum transfertur è vicinia proximi corporis: internum, quando corporis particula à se invicem recedunt, orientem versus alia, alia versus occidentem, quod accidit in morte. Spatium suum corpus sive integrum sive in partes dissolutum retinet semper, quia servat eandem extensionem, licet non semper conjunctim. Sive enim in oriente sive in occidente volitent particula corporis Pomponii, ad illud constituendum semper pertinent, & suam consequenter ipsi extensionem, licet mirè dissipatam tribuunt. Hoc qui probè secum animo perpendit, facile intelliget rationem, qua corpora nostra olim à mortuis resuscitabuntur.

§. 20. Quod aliis contigit argumentis Metaphysicis, ut amplissimis & sæpe pugnantis secum invicem Philosophorum disputationibus largam præberent occasionem, idem & in tractando capite de materia aut corporis divisibilitate & olim & postea accidisse videmus. Pythagoræ fertur sententia

\*\*\*\*\* 2

fuisse.



fuiffe, omnia corpora esse composita ex atomis Mathematicis, i. e. minimis corpusculis, quæ nullas omnino partes habeant, eoque dividi ulterius nequeant, quam opinionem hoc seculo in Philosophiam revocavit David Derodon, Gallus. Sed & quàm plurimi veterum naturæ Indagatorum, Leucippus, Epicurus, Democritus atque alii corpora esse constituta putarunt ex atomis Physicis, i. e. corpusculis exiguis, quæ partes quidem habeant, & figuris varientur, tamen ob soliditatem dividi aut dissolvi nequeant. Laërt. in Vita Democriti scribit, ex ejus sententia τὰς ἀτόμους ἀπειρους εἶναι κατὰ μέγεθος ἢ πλάτος ἐπιπέδων δ' ἐν ἑαυτῶν σφαιρῶν, καὶ εἶναι πάντα τὰ συγκείμενα ζεῖν, πῦρ, ἕρως, ἀέρα, γῆν, εἶναι γὰρ καὶ τὰυτὰ ἐξ ἀτόμων τινῶν οὐσῆματα, ἀπὸς εἶναι ἀπὸ τῆς καὶ ἀναλλοίωτα διὰ τὰν ἐπιπέδων, atomos esse infinitas & magnitudine & numero, ferriq; in toto ac rotari, atq; ita concretiones omnes gignere, ignem, aquam, aërem, terram. Quippe & hæc ex atomis quibusdam constare, esseq; passioni & mutationi ob firmitatem minimè obnoxia. Primum atomorum auctorem fuiffe Moschum Phœnicem, & ab eo fortè in peregrinatione sua Democritum accepisse, tradit Sextus Empiricus. Ex recentioribus cum Democrito fecere Gassendus, Magnenus & alii. Aristoteles cum affectis docuit corpus omne constare ex partibus in infinitum divisibilibus, sive nullam esse quantitatis partem, quantulacunque illa sit, quæ non possit dividi in alias partes, istasque rursus in alias, & sic in infinitum usque. Stagiritæ doctrinam retinuit hæctenus Renatus des Cartes. B. de Spinoza existimavit, corpus quidem posse dividi, & habere partes, non verò extensionem, quæ sit substantia una, simplex & infinita. Extensionem autem & corpus distinguit à se invicem, uti substantiam vel attributum (utroque enim modo appellat) à modo, & corpora singularia modos esse extensionis pronunciat. Verum enim verò, si corpora singularia habent partes & queunt dividi, habebunt per extensionem, eoque & ipsa extensio è partibus constabit. Nam modi, quales esse corpora singularia putat Philosophus, partes non per se habent, sed per attributum, cujus modi sunt extensionem. Unus enim extensionis modus extra alium est, quia uterque sunt extensionis modi. Cordomæus Philosophus Gallus, cæterum solidissimus, in libello Gallico de mentis & corporis discrimine, ubi secum reputasset magnas difficultates, quibus laboraret sententia de corporis in infinitum divisibilitate, inquisivit in faciliorem rationem explicandi hanc quæstionem, quam & se invenisse arbitratur. Quare ad evitandam confusionem primò nomina definit, & per corpus quidem substantiam extensam, per materiam autem corporum compagem intelligit. Singula corpora facit partem materiæ: plura verò simul sumta & à reliquis seorsim spectata appellat portionem materiæ: quæ partes aut portiones, si absque vinculo juxta se invicem jaceant, nominari cumulum

aut

aut acervum: si alia alias interfluant, sicut indefinenter mutantes, vocari liquorem: si veluti hamis conjunctæ sinè motu, vel cum motu parvulo, ut discedere à se invicem nequeant, dici massam. Corpus, quia sit unica substantia, non posse dividi ait, materiam verò dividi posse in tot partes, quot corpora illam componant, atque etiam in tot portiones. Tum conatur detegere originem præjudicii quo materiæ in infinitum divisibilitas foveatur. Vidisse scilicet nos cumulos, liquores, massas dividi in portiones visibiles, quæ tandem cum ulterius divisa sint, sensibus non percipiuntur, hinc credere, id quod tories contigerit materiæ portionibus à se invicem separatis, in infinitum accidere, & si reliquæ partes plurimæ divisione non essent factæ insensibiles, semper nos dividere potuisse: nec observasse, quod tandem opportuisset devenire dividendo ad portionem materiæ ex duobus tantum corporibus constatam, quæ si a se invicem separata essent, divisio continuari ulterius non posset. Addit, quia habeamus claram corporum ideam, & sciamus illa substantias esse extensas, hæc nos jungere ideam ideæ materiæ, & massam pro corpore sumtam considerare uti substantiam unam, credentes id quòd videamus eandem & unam esse extensionem: & quoniam omne quod hac ratione extensum cernimus, est divisibile, jungere nos ideam extensi cum idea divisibilis, & putare extensum omne divisibile esse. Nempe singula corpora seorsim sumta non cadere sub sensu, ac proinde magnam requiri illorum multitudinem ad constandam materiæ portionem sensibilem, hinc quicquid oculis percipiamus, materiam esse: deinde quum singula corpora non assequamur sensu, illorum quoque junctionem non observari: idcirco omnes horum corporum extensiones in una massa comparere, quasi una modò foret extensio. Breviter autem respondemus, primò temere corpus à materia distingui, quandoquidem est eadem utriusque idea, & attributum essentialè, extensio: quæ si in genere spectatur, uti non ad certum corpus pertinet, corpus appellari solet: sin verò spectatur, uti aquæ, igni aliisque corporibus propria est, materiæ nomine venit. Deinde fatetur Cordomæus, corpus esse extensum, ubicunque autem est extensio ibi sunt partes extra partes, quæ in existendo à se invicem non dependent, eoque & dividi queunt. Porro quod sumit falsum est, unam dividi non posse, nisi sit essentiæ simplicissima: Sunt enim res corporeæ una per unionem (venia sit voci) vel conjunctionem particularum in unum, quæ uti conjungi sic & dividi possunt. Cæterum harum particularum conjunctio sive per solam quietem, sive per materiam subtilem ambientem fiat, tam est ærta & firma, ut motu totius corporis non destruat. Denique non præjudicio capti arbitramur, corpus divisioni obnoxium esse, sed quia in extensionis idea partes extra partes clarè animadvertuntur. Illud philosophantium disceptationi subjectum

\*\*\*\*\* 3

telin-



relinquimus, num dividendo tandem ad minimam partem sive atomum veniamus: uti numerus resolvitur in unitates individuas: hac enim ratione non evectitur corporis attributum, divisibilitas, quia atomi aut particulae minime tam non corpora sed corporum modo forent elementa aut principia, sicut numerus ex unitatibus & linea è punctis componitur. Et fallor multum, aut fatebuntur naturalis Philosophiae Doctores, singularium corporum naturam, proprietates, virtutem, effecta & originem æquali felicitate declarari, sive atomorum sive particularum in infinitum divisibilibus hypothese retineant.

§. 21. Effatum Cartesii quo mundum non habere fines sed indefinitum esse pronuntiavit, est lapis offensionis, ad quem impetere, quorquor calamum adversus eum strinxerunt. Et mihi profecto persuasissimum est, errasse heic Renatum, & quod olim ingeniosissimus amicus politicissimo dialogo demonstravit, puram perceptionem cum imaginatione confudisse. At lubet Viri placitum ex Epistola ad Chanutum quæ l. i. Epistolar. supra trigesimalam sexta est, fusius repetere; *Primò, ait, memini, Cardinalem Cusanum Doctoresq; alios plurimos supposuisse mundum infinitum, neq; tamen propterea ab Ecclesia unquam fuisse correptos; contra videtur ad Dei cultum pertinere, ut ejus opera amplissima consecantur; meaq; quam illorum sententia commodius admitti potest, quia non dico mundum esse infinitum, sed tantum indefinitum. Quæ quidem duo inter se haud parum differunt: ad hoc enim ut quis dicat infinitum quid esse, ratione aliquanti debet, qua probet rem ita se habere, quod de Deo tantum probari potest; sed ad hoc ut dicam esse quid indefinitum, satis est si nulla sit ratio, qua probari possit id esse finitum. Mihi autem videtur probari non posse, imò neq; concipi ullos esse fines materia ex qua constat universus orbis. Cum enim materia hujus naturam perscrutor, invenio positam esse totam in eo quod extensa sit secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ita ut quicquid præditum est tribus hisce dimensionibus, sit materia hujus pars. Neq; verò potest spatium ullum dari omnino vacuum, h. e. quod nullam contineat materiam, quia tale spatium concipere nequimus, quin tres hæc in illo dimensiones & proinde materiam concipiamus. Mundum autem finitum supponendo, concipiuntur ultra ejus fines spatia quadam tribus hisce dimensionibus prædita, & proinde non pure imaginaria, quæ Philosophi vocant, sed continentia in se materiam, quæ cum alibi esse nequeat quàm in mundo, liquet mundum extra fines ipsi præscriptos extendi. Cum ergo rationem nullam noverim, qua probem, imò neque concipere queam, mundi fines ullos esse, illum indefinitum voco; sed negare tamen nequeo, illius forsitan fines aliquos esse Deo notos: licet illis comprehendendis impar sim; quare non dico absolute esse infinitum. Hæc Cartesius, è cujus verbis manifesto liquet, ipsum infinitum,*

tatem,

tatem, quæ Dei attributum est, nequaquam rei corporeæ vindicare, eoque nec mundum mutare in Deum, sed putasse modo, extensionem aut non habere fines, aut à nobis saltem comprehendi non posse, forsitan tamen à Deo cognosci. Verum enim verò concedimus, imaginando nos fines mundi adsequi haud posse, est namque finis nihil præter negationem perfectionis cujusdam, negationes autem ad puram perceptionem pertinere, non ad imaginationem, quæ rei corporeæ vestigia cerebro imprimuntur, in confesso est. Faciamus quod verum est, mundum habere omnem extensionem creatam: sed quid? num & habet eam quæ creata non est, aut negabitne Philosophus, aliam extensionem ab omnipotenti Deo condi posse? sanè in extensione quæ jam non existit, nulla est ad existendum repugnantia, uti nec erat ante creationem in extensione quam Deus post produxit. Igitur si nova extensio produci divina virtute potest, præsens mundus non complectitur omnem extensionem, eoque finitus est. Et nonne singulæ mundi partes finitæ sunt, quæ igitur ratione ex iis totum nobilius atque præstantius componeretur. Adde Cartesium haud ire infitias, Deum posse mundi fines cognoscere: ergo & fateatur, mundum fines posse habere, licet eos imaginando adsequi non valeamus.

§. 22. Alter quem hoc in argumento Cartesius erravit, error est de multitudine mundorum, plures enim mundos esse non posse affirmat. Pacis autem expedietur intricata quaestio, si nomen mundi definiatur. Quando namque designat universitatem rerum tam earum quæ existunt quàm quæ à Deo condi porro possent, manifestum est, non nisi unicum fore mundum. At si res existentes, corpora & spiritus, quia diversissimam habent essentiam, in diversas classes collocemus, erit mundus corporeus & intellectualis. Si nova crearetur extensio, mundus corporeus augetur, eoque non existent plures mundi corporei. Et quoniam aliæ res queunt à Deo condi præter extensas & cogitantes, alii quoque possunt esse mundi præter extensum & cogitantem: si verò illarum rerum, quarum specie mens nostra caret, actiones aliquo modo ad præsentem mundum referrentur, non diversam ab hoc mundo societatem facerent, sed modò magnæ hujus civitatis nova membra forent.

§. 23. Qui dari in mundo motum infitiabitur, non tam argumentis videtur corrigendus, quàm ceu homo rationis rectæ expertus omissendus. Quare Zenoni injuriam puto esse à calumniatoribus factam, quando sunt causati, cum negasse motum. Cæterum difficultas, quæ commotus dicitur hunc errasse errorem, facile solvi potest. Si non datur, ajebat, pars minimum nec datur motus, ad hunc enim requiritur, ut spatium prius minus, deinde majus percurratur. At si non datur pars minima, neque spatium erit

minas:



minus: nam parvum utcumque sit spatium, semper tamen dabitur minus, & ita motus nunquam inchoabitur, semper enim erunt spatiola minora, quæ percurrere oporteret. Resp. Uti spatium quodlibet partes habet innumeras: sic & unumquodque corpus quod super id spatium moveri facimus, innumeras habet partes. Et sicuti partes spatii, si conferantur secum invicem, sunt inæquales, majores vel minores: ita quoque partes corporis moti sunt inæquali magnitudine præditi, nam partium innumerabilitas non tollit differentiam magnitudinis. Unde sequitur partes innumeras alicujus corporis moveri super partes innumeras spatii, & partem quidem minorem corporis super parte minore spatii.

§. 30. Quum homo discedit à columna, ad quam aliquamdiu stabat, ipse solus moveri dicitur, non item columna, quanquam & ipsa novum accipiat vicinum, aërem puta in locum hominis alio digressi succedentem. Solus quoque aër movetur, quando à vento agitatur, arbor autem retinet quietem, etsi à novo subinde aëre ambiatur. Sciendum nempe est, idem corpus, sive ut mobile sive ut quiescens spectetur, plures habere partes, hæc singulas tangi à vicino corpore, ita arboris radicem à terra, truncum ab aëre terræ viciniore, ramos autem & cacumen à superiore aëre contingi. Igitur quia motus est translatio totius corporis, ad eum requiritur, ut corpus viciniam non modo secundam aliquam sui partem, sed ut eam secundum omnes mutet: quemadmodum accidit homini à columna discedenti, non item columnæ, quæ in eodem solo, homine digresso, stare pergit.

§. 36. Pia sanè & rectissima est Cartesii doctrina motum omnem à Deo esse, quam ad confutandas impiorum fabulas, quis sponte sua absque supremi Numinis providentia oriri in mundo omnia & occidere putant, amplius firmabimus. Primum nemo existimabit motum à se esse, qui observat in ejus idea nequaquam contineri existentiam necessariam. Quum enim ipsa materia, cujus est modus, possit non existere, quis credat, modum materiæ necessario existere, ita namque posset absque suo subjecto existere. Porro si ab alio erit motus, & quidem à re finita & creata, vel erit à materia vel à spiritu. A materia certe non est, quia licet una materiæ pars moveatur, tamen altera quiescit: deinde ea non est nisi moles inefficax, tam ad quietem quam ad motum recipiendum indifferens, quare ipsa motum sibi non dedit. Ex eo autem, quod nullum corpus moveat se ipsum, manifestè conficitur, nec unam posse alteri motum tribuere. Sed nec à spiritu produci motus potuit, nam quia is habet essentiam à corpore diversissimam, sua virtute in corpus non agere posse intelligitur. Neque observo in mente tam potentem tamque efficacem voluntatem, quæ rei alterius naturam immutare queat: saltè mens humana motum corporis sui non producit, sed legis  
naturalis

naturalis vi dirigit ac determinat. Relinquitur ergo Deum corpori motum primò indidisse & posthac conservare. Unde & veteres errarunt Scholastici qui docuere, Deum ab initio quidem corpori dedisse facultatem sese aut aliud corpus movendi, sed ipsum motum jam non producere, aut conservare quidem illi facultatem motricem ab initio datam, at non applicare vel hunc illumve peculiarem motum producere. Profecto sicuti motus primo momento non nisi voluntate Dei exiit, ita & secundo jussu ejus existere pergit. An autem tanta sit hodie in mundo extensa quantitas motus, quantam olim extensæ moli Creator indidit, inutilem questionem esse judico.

§. 40. Ad ea quæ Auctor tradit de communicatione motus, bene intelligenda duo sunt observanda: prius, ipsum motum singularem qui est in corpore A. non transire in corpus B. sed modo in corpore B. tantum oriri novi motus, quantum in corpore A. perdat: falsa enim Scholasticorum est sententia, accidens ex uno subjecto in aliud migrare posse. Posterius, non tribui corpori vim motricem qua se aut aliud corpus movere possit, sed Deum occasione corporis unius quod movetur, in altero occurrente motum producere: ideo corpus movens occasionalem modò non veram motus causam esse. Quod sanè assertum quisquis sibi diligenter in animum revocat, non poterit non suas subinde cogitationes sancta modestia & submissione ad Deum creatorem, conservatorem & moderatorem omnium dirigere.

§. 45. seqq. Malebranchius Philosophus Gallus p. II. Scrut. verit. l. 6. c. 9. è regulis motus specialibus quartam, sextam & septimam falsitatis arguit, reliquas pro veris admittit. Regula IV. est: Quum corpus motum incidit in quiescens majus, utcumque celeriter moveatur, nunquam tamen alterum movebit, sed ab eo in partem contrariam reflectetur. Malebranchius putat contrarium fore, & corpus motum esse quiescenti majori de suo motu communicaturum pro ratione magnitudinis corporis hujus quiescentis, ut post moveantur unà. Ex. gr. si corpus motum A. habeat tres gradus motus, corpus autem quiescens B. sit duplo majus, tum A. communicaturum corpori B. duos gradus motus. Regulam suam fundavit Cartesius super opinione, quiescens corpus habere vires resistendi motui; quæ vires sint voluntas Creatoris, ut unumquodque corpus servet statum suum. At Malebranchius putat, corpus quiescens carere viribus resistendi motui. Cartesius ad probandam regulam allegat exemplum corporum durorum, in quæ corpora celerissime mota si impingant, hæc repelli, uti pilam in parietem incidentem. Malebranchius respondet, partes corporum durorum non sola jungi quiete, sed ab ambiente materia subtili comprimi, à qua materiæ subtilis agitatione vires resistendi venire. Negat quoque Deum velle positiva voluntate, ut corpora in quiete mancant, & quietem esse eo quod velit Deus materiam existere,  
\*\*\*\*\*  
quam



quam sententiam puto & cum sana philosophia, & cum recta Theologia pugnare. Illa enim docet nec motum nec quietem essentia materiae contineri: unde sequitur, Deum volentem, ut existat materia, nondum velle ut ea quiescat. Hæc porrò tradit, res omnes rerumque actiones & status omnes non à generali saltem providentia numinis pendere, sed singularissima voluntate fieri. Nec juvat excipere, ad producendum motum sufficere, ut Deus cesset velle, materiam moveri. Nam quando Deus cessat velle motum corporis, verè vult ejus quietem. Porrò objicit vir ingeniosus, quietem non nisi motus esse privationem, quapropter & corpus minimum motum plus habere virium quàm habeat quies corporis maximi. At liquidò patet, etiam quietem esse positivum corporis attributum, eoque & certis viribus pollere. Plura videantur apud ipsum Malebranch, l. c.

### Ad part. III. Princip.

§. 2. 3.

**B**ilem multis moverunt ea quæ Renatus de finibus operum divinatorum scripsit, & fateor ex iis quædam non modò falsa sed & cruda admodum ac imprudentia esse. Audiamus quæ hanc in rem habet, l. 2. Epist. 16. §. 10. *Fines Dei à nobis sciri non posse, nisi Deus ipse revelet, est per se manifestum, & quamvis verum sit, respiciendo ad nos homines, ut sit in Ethicis, omnia ad Dei gloriam facta esse, quia nempe Deus propter omnia opera sua est à nobis laudandus, solemq; ad nos illuminandos factum esse, quia experimur nos à sole illuminari, puerile tamen esset atq; absurdum, si quis in Metaphysicis assereret, Deum tanquam hominem aliquem valde superbum non alium finem in condendo universo habuisse quàm ut ab hominibus laudaretur: & solem multoties terrâ majorem non alio fine creatum esse, quàm ut homini minimam terræ partem occupanti lumen praberet.* Summam nostri responsi sequentibus capitibus complectimur. 1. Quia novimus Deum esse sapientem, scimus eum propter finem & quidem præstantissimum, semet ipsum agere: in quo vanam utique gloriam non quæriverit, ambitiosi instar & superbi, sed congruenter sanctitati suæ fecerit. 2. Id cum Ethicis tum & Physicis vel Metaphysicis agnoscere debet, ut cognitio intellectus efficiat pietatem voluntatis. 3. Præter finem hunc principalem & ultimum sunt alii particulares & subordinati, è quibus nonnullos scimus, alios ignoramus, secus ac putat auctor Resp. 5. ad obj. c. Medit. 4. §. 1. ubi ait: *Nec fingi potest, aliquos Dei fines magis quàm alios in propatulo esse, omnes enim in imperscrutabili ejus sapientiæ abyssò sunt eodem modo reconditi.* Pejus longè erravit

in

in hoc argumento B. d. Spinoza, qui cum affirmaret, Deum omnium rerum causam esse immanentem & necessariam, quæ illas aliter producere non potuerit atque produxit, ineptum esse quoque asseruit dicere, Deum in agendo habere certum finem: unde conclusit, hominem non esse conditum ad Deum colendum, hæcque ratione omne turpis & honesti discrimen sustulit: quod horrendum dogma, ut jam refellatur à nobis, neque loci neque temporis ratio permittit. Quare istud monuisse sufficit, Deo attribuendam esse sapientiam, quæ est insignis perfectio, & cum sapientia libertatem in agendo: nam sapientia constitutione optimi finis & electione optimorum ad illum impetrandum mediocriter comprehenditur: at statuere & eligere finem libertate nil possumus. Si verò Deus agit liberè, agit quoque ex consilio, & consequenter certum ob finem, qui in actionibus entis perfectissimi erit optimus & præstantissimus, i. e. Deus ipse.

Otiosa quæstio: num homo sit finis reliquorum corporum? in memoriam mihi revocat controversiam, quam olim Franciscani agitarunt contra ordinis sui contentores. Hi monachi non minùs ac alii homines solent edere cibos & edendo consumere, sed judicantes id se facturos majori cum sanctitate, si consumant illos finem potestate id faciendi, dixerunt competere ipsis solum usum harum rerum quas consumant, dominium verò pertinere ad Ecclesiam Romanam, & in hac domini privatione consistere ipsorum paupertatem, cujus Jesus Christus ipsis exemplum præbuerit. Nicolaus IV. Papa Romanus, ex ordine Cordigerorum ad hanc dignitatem evehctus circa finem sæculi XIII. edidit bullam huic Franciscanorum obtentui convenientem, qua definivit illos non habere nisi usum solum, atque veram paupertatem consistere in hac renunciatione juris in omnia bona temporalia. Quum autem Johannes XXII. qui Papa fuit post initium sæculi XIV. videret nullos reditus ad Ecclesiam Romanam ex hoc redundare dominio quod haberet in cibos à Franciscanis consumptos, neglecta Nicolai bulla quæstionem non modò removit, sed & extravagante peculiari ad conditorem, contrarium definivit. Ubi inter alia extat, quod nec Fratrum ipsorum intentio fuerit defendere, ad quemcunque alium quàm ad ipsosmet dictarum rerum compendium pervenire. Huic certè controversiæ simillima est nostra de fine corporum lis. Tum quærebatur: an Franciscani haberent jus & dominium ciborum quos consumebant; hodie, an corporum creatorum finis sit homo? Tum Monachi utebantur cibis finem jure & dominio non minùs ac illi, qui jus ciborum comedendorum habebant; hodie non minùs utimur creatis corporibus, quàm si ea propter nos condita forent. Ridemus hanc Monachorum litem, quando hodie illam legimus; idem de nobis judicium feret po-

\*\*\*\*\* 2

steritas




steritas animadvertens controversias, quas movimus aut aluimus. Com-  
modè autem dici potest, hominem esse unum è finibus particularibus corpo-  
rum, licèt enim sit minima terræ portio, tamen olim gerebat imaginem Dei.  
Tamen nemo hinc concludat, terrenis unicè rebus ac deliciis vacandum  
esse. Nam corporibus licet uti, non abuti, siquidem creata non sunt eo  
fine, ut homini in perpetrando peccato inserviant, sed ut ad vitam con-  
servandam usum præstent necessarium. Neque est homo rerum existen-  
tium finis ultimus & summus, sed & ipse & cæteræ res omnes propter Deum  
sunt.

§. 21. 22. Olim Scholæ doctores tradidere, solem quidem calefacere,  
calorem autem in eo esse non formaliter, sed virtualiter ac eminenter: quæ  
nam & hodie apud nonnullos fidem inveniunt, valdè dubito. Profectò  
quia est compages materiæ subtilissimæ celerrimè secundùm partes suas  
agitata, ignem esse & quidem lucidum liquidò constat. Neque est cur  
metuamus fore hac de causa corruptioni obnoxium, & egere continuo  
alimento, uti videmus maximas in terra flammæ extingui, nisi lignis  
subinde apposis foveantur. Nam ignis noster supra terram à circum-  
jacente materia dissipatur: at nullum est periculum, ne vicinæ cæli partes  
flammam solis destruant.


§. 24. Et olim cæli credebantur solidi firmique, sed vix jam quis-  
quam est, qui eos fluidos esse infitatur, absque quo attributo moveri in iis  
sidera nequirent, aut lumen ad nos transmitti. Servant quidem stellæ fixæ  
eandem inter se distantiam, quia suus singulis vortex est à Deo tributus,  
non quòd cælum solida sua natura eos in loco contineret. Certè pri-  
ma cælorum origo ex aquis erat, quod disertè historia creationis testatur,  
ut mirum non sit, liquidam eos essentiam retinuisse. Quare autem Græ-  
ci interpretes cælum *σφαίρα* & eorum exemplo vulgatus *firmamentum*  
appellarint, neque certò scitur, neque heic explicari debet. At verò si  
liquidi sunt cæli, ad sublunarium corporum naturam aliquatenus sal-  
tèr accedent, quanquam Peripatetica schola corpora cælestia à sublu-  
naribus diligentissimè distinxit, & diversam utrisque non modo formam  
sed & materiam attribuit. Ad quod respondemus breviter, primò omni-  
bus & singulis corporibus, lucidis, pellucidis, opacis communem esse  
materiam primam extensionem: deinde cælum habere particulas juxta  
se invicem continuo motas, ex quibus & aliæ res liquidæ constant.

§. 126. De Cometis nihil quicquam monebimus, præter ea, quæ de  
illorum usu ac fine ab aliquo tempore in quæstionem vel contentio-  
nem venerunt. Si enim, conclusere nonnulli, Cometæ haud sunt cor-  
pora



pora nova præter ordinem singulari de causa hoc ipso tempore quo apparent à  
Deo producta, vanum est, quod per tot sæcula est ferè summo consensu cre-  
ditum, esse nuncios iræ divinæ & impendentium inde calamitatum: ita  
verò concionatoribus egregium & gravissimum eripitur argumentum,  
quo homines peccatis immerfos ad pœnitentiam agendum hortari solent.  
Ipse profectò non amo omitti aut negligi quicquam quod ad pietatem in  
humanis mentibus excitandam pertinet, utpote cui est persuasivissimum, ne  
unicam dari veritatem quæ non uti intellectum illuminat, ita quoque vo-  
luntatem ad Deum amandum & colendum invitet, moveat ac permoveat,  
modo rectè ac diligenter consideretur & doceatur. Quare nec dubito, Co-  
metas insigne argumentum pietatis exercendæ, imò & resipiscentiæ agendæ  
præbere. Quid enim? nonne sapiens, nonne potens, nonne dives est  
Deus, qui plura condidit corpora, quàm nostris quotidie oculis subjiciun-  
tur? Qui novum in cælo monstrat sidus, nonne in terra potest novum facere  
opus ad nos puniendos, si in peccatis perseveremus, aut beneficiis mactan-  
dos, si conditorem & liberatorem veneremur? Qui in cælo refractis luminis  
solaris radiis virgæ speciem efficere potest, num is est imbecillis ut in terra pe-  
legere est, cometam spectasse, dixit: *Non alium præter illum, qui nostri & hu-  
jus creator est sideris, timendum esse, & nostram inertiam cum simus peccatores  
& impœnientes, talibus admoneri indicis. Sed his dictis & ipse paulisper mero  
indulset, & omnes id facere jussit.* Cap. 17. ad ann. 839. In qua profectò rati-  
one abigendi metus Imperator iste multos habet imitatores. Cæterum  
quæ sit vel planetarum vel Cometarum in hæc inferiora vis & efficacia, incer-  
tum valdè aut ferè ignotum esse opinor, quandoquidem neque ipsa experi-  
menta, quæ eam ad rem declarandam solent allegari, secum con-  
veniunt, neque scientia horum effectuum veris usque huc  
præceptis comprehendendi  
potuit.





## Ad Princip. Partem IV.


§. 2.

**L**ubet hoc loco tradere ingeniosi Scriptoris *T. Burnetii*, Angli novam planè opinionem de forma telluris in principio conditæ per diluvium immutata, quod argumentum ad declarandam terræ generationem omnino pertinet. Atque ut in nostra disputatione aliquem servemus ordinem, primò ipsam Burnetii sententiam de forma telluris per diluvium mutata recensere debemus: deinde rationes proponemus, quibus ea confirmatur ab Auctore, subjuncturè brevissimè illa quæ ad refellendas rationes oppositas faciant. Et quidem quod ad viri docti spectat opinionem, paucis ea positionibus comprehendè optimè potest.

1. Certum est ante omnia, potentem Deum produxisse terram, i. e. aridam ex chaos: erat autem chaos massa materiæ exoluta, indiscreta & fluida, è multifariis partibus minoribus atque majoribus composita, & si addendum quod *Ovidius* habet:

--- rudis indigestaque moles,  
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem  
Non benè junctarum discordia semina rerum.  
Nullus adhuc mundo præbebat Lumina Titan,  
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe,  
Nec circumfuso pendebat in aëre tellus  
Ponderibus librata suis, nec brachia longo  
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.  
Quaque erat & tellus, illic & pontus & aër.  
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda.  
Lucis egens aër, nulli sua forma manebat,  
Obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno  
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,  
Mollia cum duris, sinè pondere habentia pondus. *l. 1. Metam.*

2. Ex istiusmodi massa oriri non potuit orbis habitabilis ea forma quæ nunc est prædita tellus nostra, sive globus ex terra & aqua compositus, atque montibus & vallibus & insulis discretus. Erat enim massa hæc fluida, fluidorum autem corporum partes superficiales æqualiter se à centro remotas tenent, eoque globum lævi & æquabili superficie conficiunt. Nam si una pars alia vel tantillum altior esset & eminentior, gravitate sua statim in vicinam laberetur valleculam, & cum cæteris ad libellam accederet, uti liquidam maris  
massam



massam continua levitate æqualem esse videmus, neque cumulari in fluidos montes, nec intra molem suam vacuas habere cavitates aut speluncas.

3. Quum Deus chaos massam illam indigestam primò movebat & movendo distinguebat, aqua ob suam levitatem terræ globum cooperuit superficiei æquali & tota liquida; partes enim maximè solidæ crassæque sua gravitate ferebantur deorsum, ubi concretæ & indurescentes terram constituebant forma globosa, æquali & continua, ut nec esset congesta in cumulos, nec depressa in voragine.

4. Reliqua massæ indigestæ portio habebat partes, cum tenuiores, leviores & superiora petentes perpetuæque mobilitate huc illuc agitata, tum minus tenues, languidiores, motu & levitate mediocres: illæ regiones aërias, hæ universam liquidorum massam componebant: liquores autem erant vel pingues, vel macri & tenues: illæ his supernatabant, uti oleum aquæ, & flos lactis lacti.

5. Neque aër, neque aqua primo statim initio penitus erant purgata, sed multæ adhuc inerant utrobique partes crassæ & terrestres, quæ paulatina subsidebant, unde aqua fuit turbida, aër autem tenebricosus & radiis solis impenetrabilis. Illa suas faeces sensim demisit ad fundum, ubi terræ interiori se adjunxerunt, & crassiores aëris particule in superficiem liquidorem delapsæ ubi occurrentes primùm liquori illi pingui & oleaginoso hæserunt irretitæ, nec ulterius descendere potuerunt, sed aggregatæ plures & cum materia illa commistæ pinguem aliquem limum, sive terram limosam constituerunt, faciem abyssi, sive massæ liquidorum, obvolventem.

Ex istis omnibus apparet, primigenii telluris formam hanc fuisse, in medio positam terram interiorem, hanc cinxisse molem aquarum, istam circumdatam ab orbe habitabili, quem ultra fuerit aër.

Nunc videndum est, qua ratione ista telluris forma per diluvium sit mutata, id quod pariter brevibus thesibus exequemur.

1. Cogitemus, terram hanc exteriorem continuo solis ardoribus fuisse expositam, eoque temporis progressu magis exuccam aridamque devenisse, partibusque præ nimia siccitate se contrahentibus in plurimis locis hiasse, hiatusque istos, quia æstati nulla successerat hyems, redimpleri non potuisse, unde compages telluris necessariò tandem ex una parte labefactari debuerit.

2. Ex altera verò parte infra terram vapores solis urentis vi augebantur, majorique vehementia se dilatabant.

3. Hinc tellus decreto tempore per quandam terræ motus speciem rupta dissiuit, & fragmenta, in quæ distracta erat, in subjectam aquarum molem vario modo & situ deciderunt: & fragmenta quidem minora summitatibus  
suis



suīs ex aquarum mole eminentia constituerunt insulas, majora verò relevata & per longos tractus continuata dedere terras continentes, quæ & ipsæ sunt insulæ majores. Scopuli sunt ea fragmenta, quæ tanta mole non sunt, saxea tamen nuda & infrugifera, sive ex aquis emineant, sive sub iis lateant.

4. Fragmenta leniter inclinata dedere campos & planities, immodicè depressa valles; fragmenta verò in auras quocunque modo elevata, sive incumbendo alia aliis sive occurrendo montes & montium juga effecere, quorum differentiæ omnes à varia fragmentorum dispositione pendent.

5. Rimæ, specus & cavitates in cute & in corpore terræ necessariò hac ratione sunt ortæ, quia ruentia fragmenta nunquam adeo aptè committuntur, quin multa intercipientur spatia inania, multique hiatus in superficie pateant, uti in omni ruina plus minus contingere videmus.

Puto nunc satis me explicuisse, quomodo secundum sententiam viri ingeniosi tellus per diluvium antiquam formam amiserit, atque præsentem hancce acceperit. Rationes quibus inventum suum stabilire molitur, sunt de prompta ex Historia, Philosophia & Scriptura Sacra.

Historia multas meminit urbes regionesque terræ motu & inundatione absorptas suppositaque voragine demersas, uti Sodomam & Gomorram ignita pluvia deletam testatur Moses. Plato autem antiquam sive insulam sive continentem Atlantidem Lybia & Asia majorem diluvio periisse narrat in Timæo. Etiam Justino teste Italia quondam Siciliae erat continens, ac nunc istæ regiones Siculo mari interjecto dissident, quod sine dubio terræ motu aut simili causa inundationem excitante accidit.

Philosophia pro hujus opinionis confirmatione duo suppeditat argumenta; prius, quòd absque illa nec ratio diluvii nec modus ortæ hujus tetricæ formæ telluris declarari possit: posterius, quòd utrumque dubium ex hypothese ista elegantissimè & facillimè explanetur. Et diluvium quidem explicari aliter nequit, quia nemo dixerit, ubi fuerit tam insana aquarum vis, quæ ad inundandam primò terræ faciem, & insuper accumulandam per omnes campos & valles undarum molem, in aërem supra altissimos montes, per totum terrarum orbem assurgentem suffecerit. At plana res est, si dicatur: fragmenta telluris in suppositam aquarum molem decidisse, eoque hanc terminis sibi in principio positis egressam tellurem inundasse. Pariter & insularum, scopulorum, montium, vallium, saxorum originem indicare nisi ex ista hypothese nemo potest, quia terram tetricam adeo & horridam formam à Deo esse primò creatam, probabile non est.

Scriptura Sacra duos habet locos huic placito faventes, priorem Gen.

7. 11. ubi

7. 11. ubi legitur, omnes voraginis magnæ fontes fuisse diffusos, quæ magna vorago est ipsa hæc aquarum massa orbi habitabili subiecta: posteriorem 2. Pet. 3. 6. ubi dicitur, mundum, i. e. terram & aqua & in aqua consistentem, aqua mundatum periisse, quod non nisi de forma telluris est interpretandum.

Longum foret omnia ista sub incudem revocare, quare breviter modò indicabo, quid veri, quid falsi, quid certi, quid incerti, in hac doctrina subesse mihi videatur.

I. Certum est, formam telluris diluvio aliqua ex parte immutatam fuisse. Nullum enim dubium est, quin ab initio mundi conditi terra multis in locis fuerit aut mollis aut arenosa, quæ postea superincumbenti aquarum mole necessario cedere debuit, atque adeò abire in cumulos, montes & relinquere valles si aquæ inde recesserint, aut locum dare fluminibus, maribus, lacubus, si aquæ sint iis locis retentæ. Ità constat minoribus inundationibus absorberi urbes, vicos, montes, regiones.

II. Incertum, imò falsum est, generali illa inundatione totam telluris compagem esse ruptam atque dissolutam, sic ut ex plana sit reddita ejus forma quam nunc habet. Nam prima rerum creatione nullos esse productos montes, nullas valles, nemo unquam probaverit: imò contrarium disertis verbis memorat historia diluvii, aquas postquam super terram invaluerint, non demum effecisse montes, sed jam existentes eosque altissimos sub universo cælo operuisse, Gen. 7. 19.

Obruerat tumulos immensa licentia ponti,

Pullabantque novi montana cacumina fluctus, Ovid. l. 1. Metam.

III. Certum est, aquas diluvii non modò fuisse cælestes, i. e. pluviales, sed quoque marinas, has enim puto esse intelligendas per fontes magnæ voraginis, hæc enim ipse est oceanus, ejusque fontes sunt maria, fluvii, rivi, lacus, hi dicuntur fissi, i. e. extra terminos suos profiluerunt: profilire autem potuerunt ac debuerunt, quia ripæ cum littoribus fuere ruptæ immanni vi aquarum è cælo delapsarum, quæ maxima gravitate sua riparum littorumque terram arenosam, tanta mole ferendæ imparem dissolverunt & represserunt.

Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto

Inde jecta malo, culmen tamen altior hujus

Unda tegit, pressæque latent sub gurgite turres.

Jamque mare & tellus nullum discrimen habebant,

Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.

IV. Falsum est, ante diluvium non fuisse diversas anni tempestates, nullamque hyemis & æstatis vicissitudinem. Quid enim? num sol ante dilu-

\*\*\*\*\*

vium



vium radios suos in omnes terræ partes semper direxit æqualiter? aut nunquam omnium terræ partium æqualis ad solem fuit situs? Dein postquam aquæ recesserunt ex terra, Deus promisit, non cessaturum porro æstum & frigus, æstatem & hyemem. Ergo prius fuerint oportet.

§. 48. Ex hydrostaticis opportunum est hoc loco apponere rationem, ob quam suprema aquæ superficies est planum horizontale, cuius lineæ omnes cum applicato perpendiculo faciunt angulos rectos. Nempe secetur aqua in quolibet vase horizontaliter, & si fundus vasis est planum horizontale, quale esse nunc sumimus, eodem modo dividatur totum aggregatum corpus ex aqua & vitro. Ex eo porro plano seu fundamento aquæ superincumbentis fiant tot parvuli circuli quot volumus, quibus singulis innitatur aliquis cylindrus, premens illum circulum cui innititur. Igitur si duo v. g. cylindri circulum sibi subjectum premunt æqualiter, neuter alterum vincit: sin autem unus premit alium vi majore, quoniam particula corporum liquidorum facile à se invicem recedunt, & se diffundunt, debilior cylindrus à fortiore in fundo vasis se diffundente superabitur sursumque pelletur, donec æquale robur acquirat, & consequenter uterque in æquilibrio ponatur: ad quod servandum necessarium est, ut circuli ambo à superimminentibus cylindris aqueis vi premantur æquali, est enim aqua homogœnum corpus & ejusdem specificæ gravitatis, aut æqualis massa aquæ est gravis æqualiter. Porro ut circuli fundi premantur vi æqualis & cylindris superincumbentibus, debent isti esse ejusdem altitudinis & crassitie, summus enim bases habere æquales & quia fundo perpendiculariter incumbunt, relinquuntur, superant eorum superficiem fore planam, ac horizontaliter, si fundus horizontaliter planus est. Atque istud cylindrorum æquipondium haud esse fictum cerebri commentum, perspicuo nos olim experimento docuit celeberrimus *Bernoullius* cum *Fratre* ad declaranda naturæ phænomena, & perficiendas omnes disciplinas Mathematicas natus, & arte factus, & studio assuetus. Adhibebat verò ille Siphonem cruribus diversæ altitudinis instructum, & ex his unum viridi, alterum purpurea aqua replebat, ad geminum cylindrum facilius à se invicem discernendum, qui quum secum committerentur, purpureus altior & fortior sub viridem debiliorem & brevior in flexura Siphonis delabens hunc eo sustulit, ut magna pars liquoris viridis è crure breviori exundaverit, usque dum purpurei eum secuti suprema superficies cum orificio cruris brevioris in eodem plano horizontali constitit. Mox ad confictum cylindrorum distinctius cernendum purpureus semel iterumque ad usque summum altioris cruris orificium elevabatur, qui lapsu suo primum effecit, ut viridis rursus exundaret, eo autem valde imminuto, utriusque spectabantur librationes, quibus modo viridem purpureus, modo istum viridis



viridis tollebat in altum, donec ambo ad æquilibrium redeuntes suprema superficie sua in eodem plano quiescerent.

Causa hujus librationis non est aquæ pondus sed impetus ruentis aquæ, quæ ponderi additus facit, ut cylindrus ejusdem magnitudinis, eo tamen impetu non ruens, sursum elevetur à cylindro æquali cum impetu ruente: cessat verò utriusque libratio, quamprimum desinit ruentis impetus, & ambo sola gravitate deorsum feruntur.

Consectarium hujus observationis est, aquam in aqua esse gravem & premere aquam sibi subjectam, & proinde falsò docere Peripatum, elementa in locis propriis gravia haud esse. Sed & hinc apparet, aquam non solum subjectam sibi sed & à latere positam premere aquam, aut elevare cylindrum collateralem: nam cylindrus purpureus è crure longiore Siphonis per flexuram se diffundens & sub viridem gliscens istum elevaverat, ut bona ejus pars effluerit. Porro fuga vacui, ut communis est opinio, non erat causa propter quam ascendebat aqua: nullum enim metuere oportebat vacuū in Siphone cujus utrumque orificiū libero aëri patebat, nihilominus cylindrus viridis in crure breviori tollebat in altum.

§. 77. Terræ motus causas varias varii assignarunt, uti fusè narrat *Seneca* l. 6. quæst. natural. & ex eo *Gassendus* in *Philos. Epicuri*. Et tres quidem de isto argumento sunt opiniones principes, quarum prima cum *Thalere Milesio* stupendam telluris agitatione exundanti aquæ; secunda cum *Aristotele* ventis in terræ meatibus conclusis; ac denique tertia cum *Cartesio* incensis fumis & exhalationibus subterraneis tribuit. Mihi verò post *Viros doctos* veri admodum fit simile, terræ motum pluribus modis contingere posse, propterea que litem istam haud necessariam esse. Nam quod ad vim ruentis aquæ attinet, sæpe docuit experientia, quando major in cavernam intrat aquæ copia, quam capere ea potest, non modo cavernam ipsam rumpi, sed & superstructa ædificia subruere cum horrendo fragore, imò & integras nonnunquam urbes submergi. Et quia passim aqua est interfusa inter specus subterrancos, quis dubitet ejus exundationem aut furiosum impetum plurimum facere ad motum terræ. Si non primum excitandum, saltem ad continuandum & propagandum. Unde & post agitationem telluræ novi interdum fontes, rivi aut lacus in illius meatibus comparent. Quem porro latet secundo loco vis conclusorum spirituum & ventorum, præsertim postquam nostra ætate humano ingenio est inventum sclopeti genus, è quo plures globi plumbei virtute solius aëris in eo conclusi emittuntur. Ità & amplas arbores radicitus extirpari, maria se inde & in fluctuum montes extolli procellis videmus. Neque est contemnenda observatio, tranquillitatem aëris præcedere terræ motum, cujus phænomeni causam verbis *Archelais* apud *Senec. l. c.* explicare libet. *Venti, ait, in concava terrarum deferuntur, deinde ubi jam omnia spatia plena sunt, & in quantum aër potuit densatus est, is qui supervenit spiritus, priorè premis & elidit ac frequentibus plagis primo cogit*



deinde perturbat. Tunc ille quærens locum omnes angustias dimovet, & claustra sua conatur effringere. Sic evenit, ut terra, spiritu luctante & fugam quærente moveantur. Itaque cum terra motus futurus est, præcedit aëris tranquillitas & quies, videlicet quia vis spiritus, quæ concitare ventos solet, inferni sede detinetur. Tandem & maximam esse conclusi ignis violentiam & sufficere ad munimenta, castella & oppida subvertenda, probat satis labor hostilis, quo in effosis terræ meatibus suppositus pulvis pyrius incendi solet: spissos autem fumos ex terræ commotæ cavernis & hiatibus egredi sæpe visum est, qui & aërem quandoque non modo obscurant sed & inficiunt, unde morbi & hominibus & pecudibus exitiales oriuntur.

§. 124. Juvat heic memorare admirandam lacrymam vitri, seu lacrymam Hollandicam, cujus & generationem & naturam ante plures annos ab amico egregiè mihi aliisq; declaratam esse grata mente recordor. Est scilicet vitrum cadenti lacrymæ non absimile, globosum fere sed in acutam cuspidem inflexu, atq; in parte crassissima adèd firmum, ut validos satis mallei ictus ea sustineat: sin autem frangis cuspidem, protinus in minutissimas partes non sine impetu disrumpitur, quas dein facilè & absq; læsionis periculo, aliter ac de reliquo sit vitro, in pulverem digito conteris. Materiam habet cum alio vitro communè, at quæ non lentè, uti fere cætera solent vitra, verùm simul & semel in aquam frigidam conjecta refrigeratur: ubi quidem haud certò constat, num areanum pendeat à justo frigoris gradu, an alius sit liquor adhibendus: saltè si vitri variis est habenda fides, non ex quavis massa vitrea tales lacrymæ confici queunt.

Est autem nobis potissimum in causam fractionis inquirendum: cur fracta cuspidè tota illico lacryma in minutissimas partes cum impetu disrumpatur: nam quod pars ejus crassior licèt malleo validè concussa haud frangatur, à laterum est firmitate. Atq; hujus quidè rupturæ causa vel interna vel externa esse debet. Interna erit ipse lacrymæ vitreæ textura, forsitan ità comparata, ut in certa colli regione, reliquæ partes omnes connectantur, unde rupto collo, quod fuerit instar vinculi, protinus dissolvantur, non secus ac remota ligatura dissipari scopas videmus. Ast vix locu ea habet causa, quia lacrymæ partes non modò dissolvuntur, sed quoq; magno cum impetu dissiliunt, quod à sola vinculi solutione minimè venit. Quare erit confugiendum ad externam magna vi in lacrymã vitri irumpentè & partes illius dispergentem. Nempe quia vitrum subitò frige fit, ejus pori superficiei proximi facti sunt angustiores iis, qui extant in medio vitro, prius enim quàm frigus ad mediam lacrymã pervenit, superficies valde est frige facta. Itaq; quando collu lacrymæ frangitur, per poros fracturæ laxiores iis qui sunt in superficie lacrymæ, magno, cù impetu ingreditur materia, quæ antea ingredi haud poterat, eaq; per dictos poros fracturæ ad mediam lacrymã, inde ad extremitatem alteram tendens, in ea poros reperit angustiores, quam ut ipsi

transitum

transitum præbeant: quare magna vi exitum quærens partes lacrymæ divellit ac disrumpit. At quænam ista sit materia, quæritur. Ponamus aërem esse, quia vulgo in aëre sit hoc experimentum: inde conficietur, si frangeretur lacryma in loco aëri non exposito, effectum hunc sequi non posse. Tamen experientia constat, si lacrymæ in aquam vel argentum vivum immersa cololum confringatur, similiter totam rumpi, quod & ipsi vidimus. Hoc verò erit vel aquæ vel argento vivo, vel alteri materiæ subtiliori, aquam & argentum vivum permeanti tribuendum. Atqui nec aquæ nec argento vivo is tribui potest effectus, nam extremi lacrymæ pori ità queunt laxari calore, ut transitum ei materiæ quæcumque demum sit, liberum concedant, vitro integro & illæso, quod nec de aqua, nec de argento vivo, nec de aëre ipso licet affirmare. Quapropter relinquitur esse materiam aëre subtiliorem, quæ istum effectum producat, neque tamen subtilissimam, imò neque tam subtilem atque est luminis vehiculum, quoniam per angustissimos extremitatis poros transire libere nequit, uti lumen, & consequenter luminis vehiculum transire per eos solet. Atque hæc tandem materia sive aër est subtilissimus, sive æther crassissimus.

§. 189. Si quisquam accuratè tradidit doctrinam de sensibus, & ea quæ sunt corporis in hac functione discrevit rectè ab actionibus mentis, est sanè Cartesius, qui id Encomium meretur. Et tamen hoc quoque est caput inter cætera, quod maximam ipsius Philosophiæ conflavit invidiam, quo jure quæve injuria, ex dicendis adparebit. Ità scilicet in Machinam mutabitur homo, & quod pejus est, bruta convertuntur in lapides & ligna, sensu quippe sunt omni secundum hunc Philosophum destituta. Henricus profecto Morus, Vir doctissimus, qui alias cupidissimè placita Renati est amplexus, ab eo dogmate vehementer abhorruit; quare Oper. Philos. t. 2. p. 236. sic ad eum scribit: *Ceterum à nulla tuarum opinionum animus meus pro ea, quæ est mollitie ac teneritudine aquæ abhorret, ac ab internecina illa & jugulatrice sententia, quam in methodo tulisti, brutis omnibus vitam sensumq; eripiens, dicam, an potius præcipiens? Neg, enim vixisse unquam pateris. Hic non tam suspicio rutilantem tui ingenti aciem, quam reformido, utpote de animantium fato sollicitus, acumenq; tuum non subtile solum agnosco, sed chalybis instar rigidum ac crudele, quod uno quasi ictu universum ferme animantium genus vita ausit sensuq; spoliare, in marmora & machinas vertendo. Sed videamus obsecro quid in causa est, quod in brutis animantes quicquam tam severiter starnas. Loqui utiq; non possunt, causamq; suam apud judicem dicere, & quod crimen aggravat, cum ad loquelam organis satis sint instructæ, uti patet in picis ac psittacis, hinc vita sensuq; multatæ sunt.*

Nos sententiam Philosophi brevissimè quidem repetemus, deinde autem

\*\*\*\*\* 3



ad aliorum placita & argumenta quibus ea stabiliunt, modestè respondebimus. Atque nostro iudicio quatuor probè in humano sensu discernenda esse monuit Renatus, quorum duo priora ad corpus, duo item posteriora ad mentem pertinent: mox ipse: illa sunt actio rei sensiferæ, v.g. lucis, & motus organi visus, oculorum puta & nervorum opticorum, dispositioq; ab eo motu pendens: hæc sunt cum cogitatio orta in mente occasione huius motus, dispositionisquo oculorum & nervorum, tum iudicium de tribus precedentibus. Primum est extra nos, puta in objecto sensifero, luce: secundum accidit in nostro corpore & est ejus modus: tertium est modus cogitandi, & cum secundo ferè constituit sensum humanum; denique quartum est consequens perceptionis factæ in cerebro & in mente.

Hiscè positis, ad quæstionem: num bruta sentiant? respondere oportet, distinguendo in sensu cogitationem vel perceptionem mentis à motu organi cerebriq; dispositione motu illo facta: & si carent bruta mentibus sive animabus rationalibus, manifestò sequitur ea non cogitare, sed motu tantum corporeo sentire, quem cerebri modum ipsi à re sensifera impressum per organa corporea, si quis velit appellare perceptionem, non repugno, ea tamen lege, ut ne illam cum perceptione mentis confundat. Sin autem brutis velimus cogitationes tribuere, necesse est credamus, mentem quoque cum his conjunctam esse non secus ac nostro cum corpore: quo ipso bestiarum in homines transformabuntur.

Sunt sanè tres primariæ opiniones de animabus brutorum: eas quippe nonnulli ajunt nihil esse præter subtilissimam sanguinis portionem, reliquæ massæ motum, calorem & dexteritatem ad peragenda machinæ munia dantem. Alii eas faciunt cogitantes, alii denique putant mediæ esse naturæ inter mentes cogitantes & animas corporeas. Labet iterum audire doctissimum Morum: Verum enim verò, ait, quomodo fieri possit, ut aut psittaci aut pica voces nostras imitentur, nisi auderent, sensuque perciperent, quid loquimur? Sed non intelligunt, inquis, quid sibi volunt istæ voces quas effutiunt imitando. Quidni tamen ipsi quid volunt satis intelligant, cibum scilicet quem à Dominis hoc artificio acquirunt? Putant igitur se cibum mendicare, quod ista loquacitate toties voti compotes fiunt. Et quorsum quæso illa attentio est & auscultatio in avibus cantatoris quam præ se ferunt, si nullus sit in ipsis sensus & animadversio. Unde illa vulpium canumq; astutia & sagacitas? Qui sit ut mina & verba ferocientes cohibeant belluas? Canis famelicus cum furtim quid abstulit, cur quasi facti conscius quam se surripit, & meticulose ac diffidenter incedens nemini occurrenti gratulatur, sed averso pronoque rostro suam ad distans pergit viam, suspiciose cantus, ne ob patratum scelus penas luat? Quomodo ista fieri possunt sine interna facti conscientia? Copiosa ista historiolarum congeries, quibus nonnulli conantur demonstrare, rationem inesse animalibus

bus brutis hoc saltem evincet; sensum ipsis memoriæq; inesse. Sed infinitum esset, tales narratunculas hic atterere, è quibus scis bene multas esse istiusmodi ut earum vim vel subtilissimum acumen haud possit eludere. Sed video planè quid te huc adiecit, ut bruta pro machinis habeas; immortalitatis utiq; animarum nostrarum demonstranda ratio, quæ cum supponat corpus nullo modo cogitare posse, concludit: ubicumq; est cogitatio, substantiam à corpore realiter distinctam adesse oportere, adeoque, immortalem. Unde sequitur, bruta si cogitent, substantias immortales sibi annexas habere.

Atqui obsecro te, Vir perspicacissime, cum ex ista demonstrandi ratione necesse esset bruta animantia aut sensu spoliare, aut donare immortalitate, cur ipsa malles inanimas machinas statuere, quam corpora animabus immortalibus actuata? præsertim cum illud ut natura phænomenis minimè consonum, ita planè sit inauditum hæctenus: hoc verò apud sapientissimos veterum rarum sit ac comprobatum, Pythagoram puta Platonem aliosque. Hæc fuit

Atorius.  
Et in appendice Antidoti oper. Philos. Vol. 2. p. 168. scribit: Nec istud quidem à quibusdam allatum, quod argumenta nostra sophistica sunt, quippe quæ substantiam incorpoream bestiis perinde inesse, atque hominibus concludunt, demonstrationis nostræ vim quicquam enervat. Respondeo enim primo, quod de hominibus absolute concludunt, incorpoream animam ipsis inesse, quia certissimus istiusmodi eis inesse operationes, quæ talem naturam evidentè arguant; de bestiis verò non sumus adeo certi. Hominesq; rerum philosophiarum satis gnari, sed ingenio magis mechanico dubitarunt saltem, an bestia ullum habeant cogitationem, quanquam interia loci se certos professi sunt, si habent fieri non posse, quin animas habeant itidem immateriales, à corporibus suis realiter distinctas. Secundo concesso quidem quod argumenta nostra animas probant etiam in brutis, à corporibus suis realiter distinctas, ecquid aliud est, quam quod omnes Philosophi ac Scholastici, quæ formas substantiales tenuerint, aut expressim aut implicite verum esse agnoverunt? Verum si incorporea sunt, inquit illi, erunt etiam immortales, quod esset ridiculum. Si per immortalæ intelligunt, quod penitus non perit, quemadmodum contingit in materia, cur non sic essent perinde atque materia, cum hæc activa anima substantia, licet bruti duntaxat essentia nobilior sit, & de creatoris perfectionibus plus participet, quam stupida ac dissipabilis materia? Quod si per immortalitatem intelligant vitæ æternæ ac felicitatis capacitatem post corporum dissolutionem, illa profecto ridicula se quæla est de suo excogitata, cujus authoribus liberè permitimus eam deridere quantum volent. Ad nos præsensq; nostrum argumentum nihil omnino pertinet. Nos enim sentimus animam bruti talè esse posse, quæ solo terrestri corpore vitaliter afficiatur, extra verò illud nullius rei habeat sensum ac perceptionem.



ita ut quantum ad se ipsam penitus pereat. Et cap. 12. de Immort. animæ p. 365. Hic autem per verſe & importunè ſubiiciunt: Si brutorum animæ ſuperſint mortis, brute vero & inertes, neceſſario ſequetur, ea iterum in corpus venturas. Etenim perſidiculoſum eſt exiſtimare, animas hæc in rerum natura etiamnum exiſtentes, & nullius rei ad iterum videndum indigentes niſi materia rite præparata, ſemper tamen neglectas fore, nec unquam in ſcenam reduci, ſed novas quotidie in earum locum ſucceſſuras creari: innumerabiles enim myriades animarum inutilis proſiſ jacerent in univerſo, numero earum crescente perpetuo in infinitum. Sin iterum in corpus veniant, præexiſtere manifeſtum eſt: Et ſi brutorum tam certè hominum animæ etiam præexiſtunt. Quæ tam vecors eſt opinio & prodigioſa, ut diductum os, altiusq; cachinnus (fatuorum argumenta) reſellere eam & explodere valeant. Nemo certè cordatus homo ſententiam illam amplectetur unquam, quam ſtultiſſimus quiſq; memoriæ tantum conſulendo ſuam reſutare poteſt. Nam certiffimus eſt, ſi præexiſtiſſet, ſe aliquid de vita ſua ante acta meminiffe poſſe. Quid quod animarum harum præexiſtentiam acceſſus, & in materiam ab eis actuandam ingreſſus intelligi nequeat?

Ad hæc duo reſponderi poſſunt. Primum, eſi quidem negari haud poteſt, quin animarum brutorum præexiſtentia conceſſa pulchrè viam ſternat ad humanarum etiam animarum præexiſtentiam inferendam ſequelam tamen non eſſe neceſſariam, ſed alteram ſine altera conſtare poſſe. Secundum ſic eſt, etiam ſi ſequela concederetur, nihil inde tamen abſurdi quoad rationem poſſe detegi, ſi inſtitutionis præjudicia, alienarumq; facultatum, quæ ſuffragandi jus hic non habent, ſuggeſtiones cæca deponantur. Et c. 17. p. 386. 387. In hoc tam aptè tamq; luculentè concluſum, hæc una pugnat obſectio perverſa; fore nimirum ex iſta argumentatione, ut animæ brutorum etiam eorum præſertim quæ perfectiora ſint, nõ modo ſubſiſtant, nam hæc difficultas probè jam concocta eſt, ſed etiam vivant, ſeq; poſt mortem fruantur. Ad hæc intrepide reſpondere auſim, millies eſſe rationi congruentius brutorum animas poſt interitum vivere quàm hominum non vivere. Verum tamen illas vivere, aut non vivere, nolo confidenter aſſerere: ſed leviter expendam utramq; hypotheſin. Et primò conceſſione ficta vivere affirmabimus, & rationes preferemus eas, ob quas ita quis in animum inducat ſuum. Quarum una præcipue in obſectioe ipſa continentur; Brutorum animas poſt mortem ſubſiſtere, & in brutis pariter ac in homine ſpiritus immediatè inſtrumentum eſſe functionum vitalium. His addi poteſt: Bruta hominesq; in præſentia idem elementum terram, unâ incolere, eisdemq; calamitatibus ignis, deluviorum, terræ motuum, pariter eſſe obnoxios. Improbabile eſſe, ut immenſum æris ætherisq; ſpatium, animantibus habitandum, unius tantum generis haberet, nempe Angelos ſeu Genios, bonos malosq;. Non miror enim hæc foret ſolicitudo, quàm ſi homines ſoli incoheret terram, aut Sirenes mare. Congruentis vitalis periodos ab æterna ſapientia

ſapientia, rerum omnium creatrice, in animabus brutorum conglomeratas longiores vel breviores eſſe poſſe, prout eſſentia proprietatis & reſpectus ad univerſum poſtulabit; unde & deſcenſus earum reditusq; juxta vel celeriores vel tardiores fore: Bonitati divina convenientius eſſe, ut res ita ſit quàm ſecus, ſi natura brutorum patitur; Fruſtraq; illa exitura ſi vitalibus operationibus præventur, dum eas commodè habere & exercere queant. Nihil magis capacia fore ſalutis in altero ſtatu, quàm converſionis in hoc. Cum intellectuales æris incolæ externum corporeumq; ſenſum habeant, obſectorum varietatem non minus illic gratam futuram fuiſſe, quàm hic apud nos terreſtres. Hiſtorias etiam innuere videri, eſſe revera apud illos animalia ærea, canes videlicet, equos & ſimilia. Ergo, ut concludam, rationem nullam eſſe præter immortalitatem, ignorantia matrem (hoc eſt, anguſtum animum è nimio amore ſui & rerum aliarum deſpicientia natum) quæ faciat, ut tam confidenter & pertinaciter conſeamus, brutorum animas vivere, deſinere ſimul ac ab hoc corpore ſeparantur. Plauſibilem equidem ſpeciem præſe fert hæc ſententia, adeo ut ſi quem obſectioe vis cogeret veram illam habere, parum aut nihil eſſe videretur, cur illum ejus pudeat. At non adeo facile dirimitur hæc controverſia. Quanquam enim manifeſtum ſit, animas brutorum ſubſtantias eſſe realiter à corporibus ſuis ſeparabiles, ſi tamen unicam duntaxat congruitatem vitalem, nempe terreſtrem, habeant, vitam in ære reſperare nequeunt. Unam autem, an plures habeant congruitates vitales, ab ejus unius conſilio & ſapientia pendet, qui fecit omnia. Præterea animæ brutorum natura magis paſſiva eſſe videntur, quàm ut hæc moriis evaſione uti fruiq; valeant. Breviter itaque concludam, mero lumine rationis certo demonſtrari non poſſe, animas brutorum non poſt interitum vivere, vel incongruum eſſe principis nature vivere illas affirmare.

Ex allegatis Viri Eruditi locis patet, ejus ſententiam ad ſequentia redire capita:

1. Bruta non modo vivere, ſed & ſentire.
2. Imo & intelligere voces ſuas, atque animadvertere hominum actiones, & habere internam facti conſcientiam, & memoriæ.
3. Hinc prædita eſſe anima à corpore ipſorum diſtincta.
4. Quæ quidem ſit immortalis, ut nec materia quum diſſolvitur, redigatur in nihilum, haud tamen felicitatis compos.
5. Nam extra terreſtre corpus eam nullius rei ſenſum aut perceptionem habere, atque ſolo corpore terreſtri vitaliter affici.
6. Probabiliter tamen exiſtere prius quàm in id corpus veniant.
7. Poſt mortem pariter ſubſiſtere, & ſi forte non vivant, quia forte unicam duntaxat congruitatem vitalem, nempe terreſtrem acceperint.

\*\*\*\*\*

Non



Non permittit instituti ratio, ut singulas istas positiones fusè expendamus, sed paucula de iis monuisse sufficiat. Et primò quidem haud inviti fatemur, esse nonnullas brutorum actiones, quæ homines ipsos in stuporem dent, & manifestò rationem sive in iis sive per ea agentem arguant, uti sunt formicarum & apum labores, avium cantus, ciconiarum statû abitus & reditus, &c. Sed cogitandum est, sapientem ac potentem Mentem posse facillè per res creatas opera ejusmodi producere, quæ testentur, eas regi & moveri prudenter & rationi congruentissimè, licèt ea ratio non sit pars brutorum, aut internum principium hujusmodi actionum; planè sicuti constat, esse horologia tam artificiosè facta, quæ non modò horas indicent, sed & distinctas & suaves & memorabiles voces edant, quod tamen nemo non artificis magis ingenio, quam cuidam horologii animæ tribuere solet. Secundò quod attinet ad vitam brutorum, patebit ex infra dicendis, maximè ambiguum vitæ esse vocabulum, ac pronunciarî de Deo, de mente, de homine, de planta, de bruto, quanquam absurdissimum sit putare, res tamen diversas idem vitæ genus vivere. Hoc verò controversitur: num bestia habeant naturam actionum & passionum suarum consciam; Tertio nec sensum iis Cartesius eripuit, si ea vox designet certum motum corporis, quo hujus organa, cerebrum præsertim, afficiantur occasione propositæ rei materialis. At qui & cogitationes ipsis tribuit, motuum corporis occasione productas, sanè eum & bruta mente donare, eoque in hominum classem referre oportet. Neque juvat excipere, animam brutorum mediæ forsan esse naturæ inter mentem humanam & substantiam corpoream, quam Viro docto quondam placuisse opinionem recordor. Nam & destituimur omnino idea animæ ejusmodi mediæ, neque ulla rerum finitarum, nisi cogitantium & extensarum nobis data est notio, & quicquid format cogitationem & intelligit, id sanè principium habet in se cogitandi, id est mentem. Quarto verum aliquatenus est, animas pecudum, materiales quoque, post mortem subsistere. Quum enim Scriptura Sacra testante, anima & principium vitæ pecudum sit sanguis, puta subtilissimam ejus portionem, quæ reliquam massam sanguineam celeri motu agitat incitatque, sanguis autem ad corpora pertineat, atque nullum corpus, licèt dissipetur ac dissitas procul in oras dispergatur, in pristinum nihilum abeat, certò inde colligitur, neque animam brutorum mortuorum cessare existere. Interim particula hæ sanguineæ bruto moriente illos amittunt modos, quibus ante vestire faciebant animam; ac proinde post obitum bestia non porro anima, sed solùm materia sunt. An verò die ultimo, quum omnes creatæ res liberabuntur à vanitate, cui propter peccatum sunt obnoxia, uti S. Paulus tradit Rom. 8. 21. 22. bruta quoque sint vita redonanda, & consequenter animam recuperatura de illis ipsis particulis sanguinis, quæ antè erant vitæ principium, definire nolo, sed mentem insignis dicti Paulini haud me satis assequi,

assequi, profiteri malo. Quintò, utiliter accipimus, animam pecudum haud vivere post eorum obitum, licèt existant, & à solo corpore terrestri vitaliter affici: (quæ tamen posterior assertio obscura valde & ambigua, nedum omnino falsa est, si quidem corpus vitam ab anima, neq; vicissim anima abs corpore accipit) hinc enim rectè concludimus, ipsam nonnisi corpoream & à corpore pendente vivere vitam, neq; cogitare vel intelligere & animadvertere, quæ qui facit profecto essentiam habet in se & ex se viventem, qualis est mentium. Quod denique attinet præexistentiam animarum brutarum, certum est quia Deus post primam molis extensæ creationem non producit novam materiam, substantiam illarum materialem existere prius quàm illis induatur modis, quibus quando induta est, anima fit: quemadmodum in confesso est, generationem corporum novorum consistere in coitione particularum à condito mundo jam existentium, & usque huc disperfarum, sub nova forma, à novo illarum situ, motu, novaque magnitudine, figura & quiete pendente.

§. 190. Quod de sensibus humanis observavimus, esse eos compositos partim ex corporis motu, partim ex mentis cogitatione, idem de appetitibus tenendum est. *Petere, appetere* propriè est *velle*, volitionem verò esse modum cogitandi, eoq; unicè ad mentem pertinere constat. Sed in Philosophorum Scholis ea vox haud nudam significat volitionem mentis, sed quatenus ea certum corporis motum sequitur aut comitatur. Quando *sentire* corpus dicitur, intelligitur peti vel affici à re sensifera: quando autem *appetit*, motu tendit ad rem appetitam, eamque sibi conjungere nititur. Atque hæcenus brutis benè tribuitur appetitus, licèt voluntate careant. Peripatus distinguit appetitum in *sensitivum & intellectualem*, illumq; ab anima sensitiva, hunc ab intellectu derivavit; rectè nisi malè explicetur. Et sensitivus quidem partim ab objecto partim à principio vel origine suam habet appellationem: tendit enim versus rem sensibus propositam, & eo ipso quo res sensibus objacet, sive in corpore motum hunc quo se cum ea studet conjungere, sive in mente volitionem producit. Intellectualis contra appetitus ad solam referri debet mentem, neque vergit nisi ad rem ipsi ab intellectu suo monstratam. Et quemadmodum appetitus sensitivus facit ad conservandum corpus: sic & intellectualis ad beatam mentem: qui finis utrobique obtinetur, si appetatur res sive corpori sive menti salubris, non autem noxia. Appetitus naturalis est motus corpori à prima ejus formatione inditus, quo ad res conservando sibi necessarias fertur, & quo proinde absque destructionis certo periculo carere non potest, uti sunt fames ac sitis, quæ sicuti non pendent ab arbitrio mentis, ita brutis cum hominibus communes sunt.



Ad Dissertat. de Methodo.

§. 2.

Quæ ad defendendas aut explicandas investigandæ veritatis regulas, ab auctore hoc paragrapho traditas spectant, pleraque sunt alibi à nobis in medium allata: quapropter hac vice pro confirmatione præcepti secundi, ut *difficultates examinande in tot dividantur partes, quot expediat ad illas commodius resolvendas*, allegasse sufficiat cum multitudinem partium unius veritatis compositæ, tum humanæ mentis finitatem, quâ impeditâ de pluribus simul rebus cogitare nequit. Profecto enim uti spectator qui unico fere momento circumfert oculos per totum conclave multis ac variis picturis exornatum, singulas bene contemplari ac dijudicare haud potest, sed vix confusam & obscurissimam omnium sibi notionem comparat: ubi verò unam post alteram irretortis oculis tabulam pictam intuetur & undiquaque dispicit, denique omnes rectè dignoscit: ita quum mens fugitivos intellectus oculos ad plures ac diversas ideas aut rerum effigies simul dirigit, ne unicam quidem clarè & distinctè percipit: quando autem veritatem ex pluribus annulis catenæ instar compositam, in suas primùm partes dividit, deinde singulas ordine considerat defixa in iis attentione, nullum est dubium, quin ea ratione tandem universas rectè sit comprehensura.

Quarta, quam sibi Cartesius posuit in scrutanda veritate, lex hæc est: *ne sum in querendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè singula enumeraret, & ad omnia circumspiceret, ut nihil à se omitti certus esset.* Nemo existimet, Virum sapientem tantam de ingenio studioq; suo concepisse fiduciam, ut perfectam & adæquatam rerum cognitionem sibi promiserit. Nam probè is scivit, majorem veritatum partem in profundissimo puteo demersam nos latere, neque ulla diligentia humana in lucem protrahi posse, sed eas modo difficultates omnes sibi proposuit enarrandas, quæ & succurrerent, debitaque impensa opera resolvi possent. Sed paulò hæc sunt altiùs repetenda & fusiùs declaranda. Si verum dicere fas est, primò nullius rei cognitione pollemus nisi mentis nostræ, quam conscientia novimus, ubi ad nostras cogitationes strenuè attendimus. Et quantum quæso est quod de mente humana scimus, aliarum quæcunque esse possunt rerum notitiam studiosius, licet frustra sectantes? Nam quod ad cæteras attinet res, quas idearum ope, non conscientia, novimus, vel nosse profecto non ipsæ, sed earum modo picturæ spectantur & noscuntur, quæ duo certè multum differunt, sicuti nemo affirmabit, eum qui vidit effigiem Alexandri M. in numo expressam, ipsum hunc vidisse Asiæ domitorem. Quid autem sunt aliud rerum ideæ nisi cogitationes earum essentiam, picturæ instar in tabula mentis representantes: planè quemadmodum visu non ipsam corporis substantiam, sed ejus modo superficiem

extre-



extremam percipimus: ita intellectu non ipsam rerum naturam, sed illarum tantum ideam videmus. Verum enim verò quantum est quæso iterum, quod animi nostri species de rerum essentia depingunt? neque puto quenkam fore tam iniquum tamq; fastuosum veritatis arbitrum, ut affirmet, haud esse plura in unica atomo arcana, quam ipse perspicacia mentis assequi valeat. Nempe Creator voluit, ut quantumcunque rerum conditarum notitiæ occasione ad meditandum ipsum ceu omnis veritatis fontem ascenderemus, neque in contemplanda rei finitæ natura hæreremus. Taceo, mentem vitio corruptam & sui corporisque focii amore plenam considerare potius quantum res aliæ sibi utiles aut noxiæ, gratæ aut ingratae sint, quam qualem in se naturam habeant.

§. 3. Primùm lubet pauca observare de præceptis Ethicis à Cartesio datis: deinde illorum loco subjungemus nostra, itidem pauca, tamen particularia magis & disciplinæ tam utili tamq; necessaria convenientiora. Igitur regula prima Philosophi hæc erat: *ut legibus atq; institutis patriæ obtemperaret, firmiterq; illam religionem retineret quam optimam judicaret, & in qua Dei beneficio fuerat ab ineunte aetate institutus: atq; se in cæteris omnibus gubernaret juxta opiniones quam maximè moderatas, atque ab omni extremitate remotas, quæ communi usurecepta essent apud prudentissimos eorum, cum quibus ipse esset vivendum.* Manifestum est, partem hujus legis primam spectare officium boni civis, non hominis in genere, eoq; ad prudentiam politicam, nec ad moralem pertinere. Pars secunda verò complectitur officium fidelis membri Ecclesiæ Romanæ, quod in eo consistit, ut doctrinam ejus totamq; religionem bonam credam, etiam bonam esse nesciam, & veram salutaremque judicem, licet nunquam exploraverim: in quo sanè Renatus noster, frequens alias sapientiæ cultor, à more cæterorum Pontificiorum haud deflexit, ut summam illi injuriam intulerint, qui adversum esse Romanæ Ecclesiæ placitis, vulgavere. Audiamus ipsum ex §. 1. hujus de Meth. Dissertationis: *Theologiam nostram reverebar, nec minus quam quivis alius beatitudinis aeternæ compos fieri exoptabam. Sed cum pro certo atque explorato accepissem, iter quod ad illam ducit, doctis non magis parere quam indoctis, veritatesq; à Deo revelatas humani ingenii captum excedere, verebar ne in temeritatis crimen inciderem, si illas imbecille rationis meæ examini subjecerem. Et quicumque iis recognoscendis atque interpretandis vacare audent, peculiari ad hoc Dei gratia indigere, ac supra vulgarium hominum sortem positi esse debere mihi videbantur.*

Uno loco ait, se religionem suam judicare optimam: altero profiteretur, se verum, ne in temeritatis crimen incideret, si illam rationis imbecille examini subjeceret. Illic placet viro sua religio, quia fuit in ea ab aetate ineunte institutus, hæc ad eam recognoscendam requirit peculiarem Dei gratiam, quâ quis supra communem hominum sortem ponatur. Igitur credidit dari judicium rectum absque examine, & puerilem institutionem sufficere sine gratia Dei ad firmandam

\*\*\*\*\* 3

fidem



fidem, & recognitionem doctrinæ auditæ non incumbere Christianis omnibus, & mentem humanam committere temeritatis crimen, quando intellectum ad gravissima & salutaria veritatis cœlestis arcana, S. literis patefacta dirigit: quæ profecto opiniones sunt præcipua Romanæ Societatis fulcra.

*Alterâ regula erat, ut quàm maxime constans & tenax propositi semper esset, nec minus indubitanter atq; incunctanter in iis peragendis perseveraret, quæ ob rationes valde dubias, vel fortè nullas susceperat, quàm in iis de quibus planè erat certus.* Hinc clarè satis patet, Cartesium præceptum dubitandi de rebus omnibus ante perceptionem claram & distinctam de sola intellexisse veritate scrutanda, non item ad res agendas in vita humana transtulisse. Cæterum dictam sequi licet regulam in urgendis peculiaribus mediæq; naturæ institutis, quæ diversa esse possunt, simulq; objici animo respicienti ad metam generalem, à qua citra felicitatis jacturam nemo aberrat. Multi nempe sunt quandoq; tranmites, qui singuli ad præfixum ducunt scopum, ut parum referat, cui ex illis insistamus, modo cum quem institimus semel, alacri pede indefinenter calcemus. At profecto qui in præstituenda sibi meta totius vitæ ab initio erravit, quò pergit in via sua celerius, eò in exitium ruit certius ac citius. Quare omnes sunt undiquaq; rationes diligenter dispiciendæ, quæ certum vitæ institutum suadent aut dissuadent, ceu impetrandæ felicitati conducibile aut noxium. Religionem inprimis legesq; divini cultus intelligo, ubi si quis propositi absq; ratione animum de illius bonitate blanda vi convincente constanter est tenax, in fine curriculi nihil nisi angorem, metum & miseriam invenire potest.

*Tertiâ regula erat, ut semper se ipsum potius quàm fortunâ vincere studeret, & cupiditates proprias quàm ordinem mundi mutare: atq; in universum, ut sibi firmiter persuaderet, nihil extra proprias cogitationes absolute esse in nostra potestate.* Epicteti hoc dictatum est, nihil eorum quæ extra mentem sint aut fiant, nostrum esse, non corpus, non pecuniam, non gloriam, nò imperia: ad summum omnia quæ ipsi non agamus: à nostro autem pendere arbitrio, opinionè, appetitionem, desiderium, aversionè & quaslibet actiones nostras: stulte pro nostris existimari quæ sint aliena, & ex peti quæ non sint in nostra potestate: inde omnes calamitates ac miseras vitæ humanæ dimanare. Ubi quidem libentes fatemur, si quod paganæ scholæ tradidere præceptum ad obtinendam servandamq; animi tranquillitatè accommodatum, hoc eo potissimum facere & Christianæ Philosophiæ quàm optime congruenter. Sed præmonere oportet, quando cogitationes actionesve nostræ dicuntur in nostra esse potestate, intelligi id de libertate ac lubentia quam in cogitando & agendo sentimus, quamq; alius nemo dare nobis vel eripere potest: ut minimè excludatur gratiæ & peccati lex, Epicteto ignota, qua hominum cogitationes & actiones vel ad bonum vel ad malum determinantur. Quisquis enim ad illas probè inter agendum & cogitandum attendit, facile observat, liberrimè se ac spontè vel bonum vel malum agere, ac propterea di-

dictam gratiæ aut peccati legem cum actionum & cogitationum libertate non pugnare. Neque essentia nostra nos ad hanc illamve actionem determinat, sed omittere illam salvis nostræ naturæ attributis ac proprietatibus possemus modo vellemus, quod scholæ vocant *indifferentiam ad utrumq; oppositorum*. Ità quum animus nobis est, corpus recreare deambulando, penes unicum stat arbitrium nostrum, num ædibus exire, an porò operi adfidere & deambulationem intermittere velimus. Ut autem ab aliis amemur, honoremur, divitiis maectemur, in nostra utique potestate non est, & quando ea desideramus, aliena & proinde incerta expetimus.

Quod corpus ejusque diversos attinet status, non puto id cum fortuna, honore, existimatione, rebusque aliis extra nos positis in eundem venire censum, siquidem divina lege unà cum mente unum facit compositum, ideoque mens illud ceu corpus *suum* considerare & curare debet. Unde & non potest non dolere quando aliquod corporis membrum malè est affectum, nisi cogiter istam corporis vastationem conducere ad sui emendationem ac felicitatem, quam profundam firmamque cogitationem lætitia sequitur. Sed talia cogitare morborum, vulnèrum, mortis aliarumve calamitatum occasione, per gratiæ, non per naturæ legem, mentem corpori jungentem solemus. Unde patet, Stoicos immunitatem à doloribus non solum falsò jactasse, sed & præter rationem ac temere experiisse.

Porro licet quis studiosissimè istud Epicteti præceptum à Cartesio repetitum observet, nunquam tamen ejus observatione veram animi impetrabit tranquillitatem lætam, quæ ipsa est beatitudo hominis. Etenim sunt res diversæ, malum sentire nullum, & frui summo bono, cujus desiderium omnibus est innatum: illud sæpe stuporis, hoc veræ est felicitatis. Quare tempus jam monet, ut ipsi pauca subjungamus monita, ex morali doctrina petita, quibus si paremus rectam nos insistere viam ad allèquendam beatitatem arbitramur. Sit itaque

Primum: ut firmiter nobis persuadeamus, dari sumum bonum, cujus sola possessio beet, atq; privatio reddat miseros, & sumum hoc bonum esse Deum.

Secundum: ut diligenter recordantes, nos carere bono summo ac proinde miseros esse, omnem ad illud recuperandum operam constantissimè impendamus, quò denuo cum illo conjuncti beemur.

Tertium: ut mentis intellectum ac voluntatem ad Deum semper & ubique contemplandum, cognoscendum & amandum dirigamus, & corpore nonnisi ex Creatoris placito utamur: in quorum officiorum executione nostra cum Deo conjunctio posita est.

Quartum: ut quoniam officia alia Deo, alia reliquis hominibus, alia nobis ipsis debentur, unicuique suam tribuentes, omnibus & singulis curiosissimè fungamur.

Quin-



Quintum: ut quia vel natura vitio vel prava consuetudine seducti amamus dicta officia negligere, coque à Deo summo bono procul recedere, ne putemus nostris nos virtutibus cum Deo tam arctè conjungi posse, quam opus est ad beatitudinem obtinendam, & ut propterea certo credamus, alio nos medio cum illo conjungi oportere, & quodnam istud sit medium, summa cum industria investigemus donec invenierimus.

### Ad Passiones.

Art. 30. 31. De sede rationalis animæ in corpore ab eruditissimum semper fuit disputatum, aliis eam in corde, aliis in stomacho, aliis in cerebro, aliis in toto corpore collocantibus. Totam esse in toto corpore, totamque in singulis partibus, rectum est Peripati effatum, modo intelligatur congruenter essentia rei cogitantis, à qua omnis procul abest extensio, quæque non est in corpore nisi quatenus in eo operatur. Atque mentem esse conjunctam omnibus nostræ machinæ partibus satis inde patet, quod in omnibus agat, & vicissim ab omnibus patiat, omnium enim motus determinat, & omnium sive bonum sive malum statum percipit, e jusque occasione aut letatur aut dolet. Hoc tamen non impedit, quo minus aliqua sit pars corporis, in qua mens agat sicut Rex in aula vel folio, unde spiritus animales per totum corpus emittat ad exequenda mandata, uti Rex ablegare per regnum ministris solet. Cartesius id mentis nostræ folium, si verè puto, primus dixit esse pinealem in cerebro glandulam, ubi quidem omnis aliorum de hoc argumento disputationibus, ex Henrico Moro subjungere placet cum usum hujus opinionis tum abusum, sic verò ille l. 2. Immort. anim. c. 5. scribit: *Summa hujus abusus breviter hæc est: glandulam pinealem commune sentiens seu percipiens esse objectorum omnium, & sine anima posse spirituum operari, & organizationis corporis, ea omnia efficere, qua anima & corpori conjunctis tribuere solemus. Nam glandula hæc singulari, cum reliqua sensus organa bina sunt, itaque commode collocata, ut cum spiritibus tum anteriorum tum posteriorum cerebri cavitationum communicet, eorum opera motus omnes nervorum (cum eorum qui externorum objectorum, tum qui internorum corporis affectuum, famis, sitis, & similium sensum transmittunt) ad illam facillimè perferuntur, qua varie mota varie spirituum cursum in hos illos musculos dirigit, atque eo ipso corpus movet.*

Præterea motum ab objecto per nervos transmissum in interiora cerebri concava, & sic ad conarion, certos poros cerebri certo ordine atque modo aperire, qui tanquam tractus & vestigia presentia illorum objectorum manent, postquam abierint ipsa, hos tractus vel signaturas in hoc precipue consistere, quod spiritus per illos poros facilius quam per alias cerebri partes transcurri sint. Hinc memoriam oriri, quando spiritus ex inclinatione conarii, ad illam partem cerebri determinantur, ubi tractus isti reperiuntur; eodem enim tum modo, quanquam imbellicius moveant conarion, quo, presente objecto, movebatur.

A spi-

*A spiritibus in tractus eos incidentibus imaginationis naturam duci & explicari; quam inter & memoriam minimum interest, nisi quod reflexio in tempus ut præteritum, quando hoc vel illud objectum vidimus aut percepimus, in imaginatione prorsus omittitur. Verum non omnes hæc sunt operationes, quarum nobismet ipsi sumus consci; plures hæc tamen quam quæ ex hac hypotthesi satis explicari possunt, videlicet perceptione objectorum, motum spontaneum, memoriã & imaginatione, opera hujus glandula, spirituum animalium, & mera organizationis corporis, omnes perfici posse: id quod aperte constabit, etiam si verè non adeo severe expendamus.*

Ex ipsa enim descriptione quam Cartesius facit transmissionis imaginis, per oculum puta, ad cerebrum, inde ad conarion, demonstrari potest, conarion experiri animam nullam ullius objecti perceptionem habere. Nam ex eis quæ habet in tractatu suo de passionibus animæ, planè constat, imaginem ab objecto ad conarion propagatam per aliquam spatii latitudinem in illud imprimi. Unde manifestè patet, conarion objectum integrum nec percipere nec percipi posse, etsi partes ejus singulas singularum partium perceptionem habere concesserit. At aliquid nostri totum percipit, quod idcirco non potest esse conarion.

Et quod externum objectum non percipimus duplex, non adeo est quoniam imago in sensus communis organo unitur, quam quod ita à linea ab objecto veniunt ad oculos ambos, ut uno in loco sentiantur; alioquin si objectum propinquum sit, oculorum verò directio non ad propinquitatem illam aptetur, illud nihilominus duplex videbitur. Quod etiam demonstrat, ambobus nos oculis simul cernere posse. Ego profecto certus sum quæ procul sunt, me melius videre cum ambobus quam cum uno duntaxat utor.

Quod motum spontaneum atinet, conarion unà cum spiritibus atque organizatione aliarum partium corporis principium ejus sufficiens esse non posse, quamquam commodam id esse sensus communis sedem largiremur facile patebit, si modo consideremus rem tam imbecillam, tamque exiguam ut glandulam istam omnino non videri spiritus vi illa ac impetu determinari posse, quo eos incurrendo, feriendo, impellendo & similibus determinari videmus; fore item nonnunquam, ut vix millesima conarii pars tanti impetus directrix sit, nempe cum objectum visus, puta, tam exiguum, quam extrema acicula, aut cum quis acie pungitur, impressiones hæc aquè minute in glandula atque, in externo sensu esse debent.

Fac autem conarion totum semper agere in motu spirituum determinando in aliquem musculum, fieri tamen non potest ut ita fluida materia, quales sunt spiritus qui proclinante conario facile retrocedunt, cursum suum unquam determinarent vi illa ac impetu quo solent. Reliqua vide apud auctorem ipsum, quorum omnium summa huc redit: merum esse animæ imperium, quod spiritus in hunc potius musculum quam in illum determinat, inibi que detinet: inde liquidum esse bruta etiam animantia animas habere oportere. Sed neque Cartesius adfirmavit, nullum spirituum motum determinari imperio mentis, neque bruta hinc sequitur habere animam incorpoream, quando sufficit dicere illorum co-

\*\*\*\*\*

narion



marion inclinari à spiritibus in cerebro agentibus, uti & hi vicissim à conario ad hunc illumve motum determinantur.

§. 50. Obnoxios effectibus omnes esse homines vix quisquam est qui neget, sed nostrum circa illos officium sapientes ambiguum reddidere. Nam Stoicorum fertur opinio fuisse, quod Virum sapientem dedecant, ullo unquam abripi affectu, imò & talem jactasse *ἀπαθής*, ut nunquam doluerint, nunquam successerint, nunquam lætitiæ perceiverint, nihil unquam expetierint. Quod suo loco relinquimus. At quod Cyprianus de ipsorum judicavit patientia, applicari ad omnem hanc Philosophiam debet *ἀπαθής*. Hanc se sectari Philosophi quos, profitentur, sed tam illis patientia falsa est, quam & falsa sapientia est, in l. de patient. Taceo affectus ab ipso Deo hominibus esse inuitos, ac proinde nec malos nec inuites per se esse posse. Unde colligitur abusus modo illorum mereri vituperium, qui vel circa objectum vel circa modum affectuum accidit, ut quum aut lætamur re tristi, dolemus re læta, amamus odio digna & expetimus mala; aut quum inter rei bonitatem vel malitiam & affectus nostros nulla est proportio. Sunt itaque regendi affectus ut servetur mediocritas. Cartesius pronuntiavit, arbitrium passiones animi moderandi, vel etiam effugiendi & avertendi, quando res objecta commotione mentis est indigna, penes hominem esse. Verba ejus hæc sunt: *Hoc autem scire refert, ut quisq; contendit regere suos affectus: nam cum haud ita magna industria mutari possint motus cerebri in animalibus ratione destitutis, evidens est, id melius in hominibus posse fieri, & eos ipsos qui imbecilliores animus habent, posse acquirere imperiū absolutissimum in omnes suas passiones, si sat industria haberetur, ad eos instituentes & dirigendos, Quæ tamam viro invidiâ conflagrant, ut vel ob istud caput doctrinæ Pelagianis aut Semipelagianis sit annumeratus. Atqui solum ex conditione loquitur, si sat industria haberetur: quam ubi implere non est humanarum virium, neq; imperium in passiones absolutū acquirere poterimus. Si tamen putavit penes nos esse, an satis industriæ ad dirigendos affectus habeamus nec ne, errasse Philosophum lubens fateor. Nam constat dirigi affectus & temperari haud posse absq; consilio, & subditi motus, à re præter expectationem nobis oblata plerumque consilium occupant, ut affectu abripiamur prius quam de eo quid faciendum sit, dispiciamus. Neque est in potestate nostra ut subitos hosce & imperuosos motus temper impediamus, quia dum corpus humanum è particulis suis componitur & in unam machinam coit, perveris jam ac pravis motibus agitur, qui denuo à re insolita & vehementer sive grata sive ingrata facillimè excitantur, neque cessabunt omnino donec corpus redeat in dispersas particulas ac novos motus accipiat, quod non sit lege naturæ sed gratiæ legi peccati substituta. Observatur quoque, viros prudentes qui longo usu exercitati & corporis temperamento adjuti, suos temperare affectus non omnino infeliciter didicerunt, isti rebus magnis parum aut nihil ad iram, tristitiam, lætitiæ aut cupiditatem*

com-

commoveri soleant, sæpe tamen minimis vehementissimè affici, inviros etiam & quandoq; contra nitentes, ex quo rectè videtur concludi, potius nos esse subiectos affectibus, quam affectus nobis. Interim concedimus, moralis Philosophiæ beneficium id esse, ut ejus præcepta qui bene novit, & diligenter observat, plurimum queat proficere in affectibus regendis: sed pernegamus, humanarum esse virium, absque divinæ gratiæ ope, ut sanctos illos Deoque placentes reddamus. Caterum de utilitate affectuum contra Stoicos addimus, in fortitudine ac justitia distributiva iram posse legitimam esse, & sinè metu non dari prudentiam, & sinè cupiditate conatus nostros languescere, sinè æmulatione ac pudore vix nos in studio rerum honestarum proficere, imò sanctissimum Salvatorem iratum quandoque & tristem, Scriptura teste fuisse.

§. 52. Affectuum à sensibus hæc est differentia, quod hi mentem commoveant ac vehementer afficiant, unde quod motus in corpore, id affectus in mente est: contra sensus mentem de statu suo non deturbent. Nam in omni affectu res affectum ciens menti proponitur, quatenus aliquam ad nos rationem habet, quatenus nobis insolita aut vulgaris, bona aut mala, grata aut ingrata est: in sensibus autem res animo objicitur qualis in se est, ac sine respectu nostri. Verum illis commoveri solemus, quæ ad nos atinet, non iis quæ nullam ad nos rationem habent.

§. 53. Affectus à variis variè dividuntur, nobis post autorem ea placet distributio, qua aliqui constituuntur primigenii, alii ad primigenios referuntur. Et primigenii quidem vel principales sex sunt: admiratio, amor, odium, cupiditas, lætitia & tristitia. Quæ enumeratio nitiur diversa ratione rei affectum excitante, quam ad nos habet. Aut enim ea res est nova & insolita, sicque parit admirationem, aut occurrit ut bona vel mala, sic producit affectus ceteros.

Objectum admirationis est res nova, insolita & incognita: quippe quæ oritur in nobis vel æ. quum res ipsa nobis est nova, uti miramur hominem aut rem ex alio orbe aliæve regione ad nos venientem, quia nunquam vidimus. Vel ß. quum rei causa nobis est ignota. Sic miramur casus Rerump. Est autem in admiratione 1. attentio magna ad rem propositam, nam mens ad eam ita attendit, ut quasi extra se feratur, & tota ad illam rapiatur, sui & aliarum rerum incuriosa. 2. Judicium, quo adfirmamus, eam rem aut rei causam nobis esse incognitam.

Potro admirationis magna est utilitas, nam excitat ad investigandam rei mirabilis naturam & causam, hinc ignorantia quidem filia, eruditionis autem mater appellari solet. Nam ad comparandam rerum cognitionem opus est attentione, attentio autem in admiratione est magna, uti monuimus. Hoc tamen animadvertere oportet, tum nos diligenter attendere, quum non nisi unam rem miramur, quando autem admiremur plures, attendere nos ad nullas. Quæ causa est cur homo in tenera ætate paucissima intelligat. Infantibus enim quæ

\*\*\*\*\* 2

occur-




occurrunt nova planè & insolita sunt, proptereaq; mens illorum cogitationes suas ab uno ad aliud convertit attonita, neque momentum integrum unius rei contemplationi impendit, similis homini in Americam aut Africam venienti, qui res obvias, quas nunquam vidit, stupet omnes, & ab initio nullam ex iis probè cognoscit.

Moderatio admirationis fit primo *objecti* respectu, quando miramur id quod reapse est mirabile: atq; decet neq; omnia mirari, sic enim fateremur, nos omnium rerum esse rudes & ignaros, neq; etiam nihil, sic enim simularemus nos omnia scire, quorum prius est animi abjecti & pusilli, ac posterius superbi remereq; prædientis. In primis cavendum est, ne res peregrinas in patria vel extra patriam facillè admiremur; in enim non potest non & ad nostri & ad patriæ totius contemtum vergere. Deinde moderatio admirationis inter ipsam & objectum constituit proportionem, eoq; facit, ut rem mediocriter novam, aut ignotam mediocriter, & contra valde novam ignotamq; valde miremur. Nam contra qui solet, prodit iudicii imbecillitatem, qua res animo objectas discernere nequit. Is autem facile temperabit admirationem, qui studet mentem intra se continere, ne à quacunque re occurrente extra se rapiatur, quiq; de illa non nisi penitus perspecta iudicat. Quod enim longius ad rem attendimus, eamq; adspicimus, eò plenius intelligimus, & consequenter minus admiramur.

§. 56. Mens rem occurrentem non solum ut novam & incognitam, sed quoque ut bonam gratamq; aut ut malam ingratamq; considerat. Et bonum quidem est vel præsens vel absens. Illud vel se possidendum offert, vel possidetur actu. Bonum præsens, quod se possidendum offert menti, excitat *amorem*; quod possidetur actu, *letitiam* parit; bonum autem absens movet *cupiditatem*.

*Amor* est motus voluntatis, quò mens se conjungit cum bono, quod se possidendum offert. Itaque objectum amoris est bonum, quod se nobis possidendum offert, & proponitur vel per sensus cum externos, cum internos, vel per intellectum: bonumq; iudicamus, quicquid ad naturam nostram conservandam, perficiendam & exornandam tribuere putamus. Bonum quod offert intellectu est Deus, virtus, &c. quod sensus externi monstrant, est pulchrum, suave, salubre, &c. quod deniq; bonum interni sensus proponunt, est omne bonum olim perceptum, quod nunc ceu præsens sistitur. Actus autem mentis circa tale bonum est *a.* magna ad illud attentio, diligensq; ejus consideratio. *b.* Motus voluntatis, quo se cum eo jungit, id amplectitur, & quandam sui partem habet, sine qua perfecta non fit.

Utilitas amoris varia est, excitat enim nos ad beneficiendum ei quem amamus, ad ei non nocendum, ad illius gratiam omni modo demerendam. Rectus erit noster amor, si 1. objectum sit amabile, & 2. modus amoris re amabili dignus. Ut verò nihil nisi amabile amemus, probè oportet discernere bonum verum ab eo, quod boni tantum speciem mentitur. Multæ enim res adparent bonæ



bonæ & amabiles, quæ reapse malæ sunt odioq; dignæ: unde hominum plerumque oritur miseria, quòd boni adparentis specie decipiantur, & amorem illi suum consecrent. Quare ut sciamus adparentis bonum à vero discernere, debemus id considerare attentè ac diu meditari, suadebitque prudentia, & suspectum habeamus omne id, quod naturæ corruptæ inclinationes adulatur, quod alios boni specie deceptos in exitium pertraxit, & quod honestate se non commendat.

Modus amoris legitimus est, quum bonum diligimus tantum quantum meretur, neque excessu, neq; defectu peccantes. Et quia bonum est vel summum vel non summum, vel per se ad suam naturam, vel tantum per aliud, nempe per summi boni voluntatem: ideo summum bonum est amandum super omnia, mediocre mediocriter: & quod per se bonum est, sicut Deus, summum illud bonum, amare oportet propter se: quodque bonum est per aliud, nempe per Dei voluntatem, diligere debet propter Deum, per quem bonum est. Quare nihil à Deo vetitum licet amare, nihil enim Deo ingratum potest esse bonum, sicut Cicerone teste nihil est utile, nihil honestum.

*Odium* est motus voluntatis, quo se mens avertit à malo, quod se ipsi vult communicare: ut objectum ejus sit malum se nobis communicare volens. Et mentis circa illud actus cum perceptio tum separatio est. Nam alio motu fertur mens ad rem propositam, & se cum illa conjungit: alio se ab illa avertit, illiusq; communionem fugit. Utilitas hujus affectus est præservatio animi & corporis à rebus noxiis, sive corpus sive animum corrumpentibus, ut à vitiiis, cibis infalubribus, &c.

Ut verò in amore, sic quoq; in odio objectum & modum spectare decet. Et objectum quidem sit reapse malum, modusq; magnitudini rei respondeat. Prudentia monet, pro malo id non esse habendum, quod vitiosæ naturæ inclinationibus adversatur, quod bonum esse probavit eventus, etsi malum ab initio apparuerit. Quò autem majus est malum, & vehementius se nobis communicare vult, eò & majori odio est prosequendum.

§. 57. Quartus affectus est boni absentis cupiditas, quæ definitur commotio voluntatis orta in mente occasione spirituum animalium, quæ fertur in bonum absens; ut proinde ejus objectum sit bonum absens, seu nondum possessum. Nam cupiditas boni conservandi quod possidetur, est revera desiderium boni absentis, quia conservatio est bonum absens, & futurum respicit. Mens bonum absens primò attentione percipit, & dein motu voluntatis in perceptum hoc bonum fertur. Cæterum quia mali absentia est verum bonum, non datur diversus è cupiditate affectus, quo malum fugimus, sed eadem animi commotione & bonum prosequimur, & malum vitamus: quanquam cupiditas qua teredimus ad bonum, possit appellari *desiderium*, ea verò quæ malum fugimus, *aversatio* aut *fuga*.

\*\*\*\*\* 3

Utilitas



Utilitas cupiditatis est, quod urget nos & excitat ad usum mediorum, quibus bonum expetitur impetrari potest, quam utilitatem ut percipiamus, nostramque cupiditatem bonam efficiamus, iterum ad objectum & modum ejus attendere nos oportet. Et nihil quidem ut bonum est cupiendum, nisi quod tale esse diligenti attentione clarè & distinctè percipimus. Bonum verò summum ac per se tale est summopere ac propter se expetendum: bonum mediocre, & per aliud tale, mediocriter & propter aliud, per quod bonum est, appetere convenit.

§. 61. *Lætitia* est commotio mentis, qua suaviter acquiescit in bono, quod tanquam suum considerat. Quare ejus objectum est bonum possessum, vel quod ceu nostrum consideremus. Licet enim omnia bona sint extra mentem, tamen cum ea per intellectum & voluntatem junguntur. Bonum præsens excitat in mente, quæ id percipit aut possidet, suavem acquiescentiam & tranquillitatem, quæ quid sit non tam verbis declarari quam sensu sciri potest. Hoc verò objectum representatur menti ut bonum ipsius, ope certi spirituum animalium in cerebro motus: quo differt à læticia purè intellectuali, orta ex perceptione boni præsentis ab ipsa mente sine ullo medio representati, qualis est læticia piè defunctorum in cælo, item Angelorum.

Lætitia opponitur *mæror* vel tristitia, insuavis quidem animi languor & inquietas, orta ex perceptione mali, quod spiritus animales menti ut suum representant. Itaque objectum tristitiæ est malum præsens, vel menti representatum tanquam suum: quanquam lætemur interdum & mæreamus rebus præteritis vel futuris: sed tum eas mens ceu præsentis intuetur, cæterum uti datur læticia intellectualis, sic & tristitia, cujus objectum menti sine ullo spirituum in cerebro motu proponitur.

Lætitia & ad corporis sanitatem & ad animi facit beatitudinem, quæ nihil est nisi læta ejus tranquillitas. Unde omnes natura ferimur in gaudium, inimici tristitiæ: nam melancholici qui amant mærori indulgere, cum non sectantur ut tristem, sed ut rem sibi gratam, naturæque convenientem, id est, tristitiam pro læticia habent.

Ut recta sit læticia, debet oriri è bono vero & nostro: bonum enim adparens nequit nisi verum & falsum excitare gaudium, qualis namque est causa, tale & est effectum: bonum autem quod nostrum esse putamus, neque est, parit lætitiæ speciem, mox in mærorem convertendam. Hinc sequitur lætari debere nõ nisi Deo ac virtutibus, quæ sola sunt vera ac nostra bona: & qui lætatur bonis fortunæ, nisi gaudeat iis, quatenus ad nostram cum Deo summo bono conjunctionem facere possunt, lætatur abs re, alias enim neque vera bona neque nostra sunt.

Modus lætitiæ is esse debet, ut bonum summum, & per se tale excitet læticiam summam: quare & opera danda est, ut illud maximè nostrum fiat. Bona autem quæ non per se sed per aliud, puta summum bonum talia sunt, non per se quoque, sed per aliud, puta per id summum bonum exhilarare nos debeat, ut turpissimè fallantur, quorum gaudium in rebus creatis subsistit.

Perfecta est nostra læticia non nisi altera in vita, quum perfecte summum bonum

nobiscum jungetur; & quia bonum ab intellectu menti representatum ut suum, longè est nobilius eo, quod spiritus animales in cerebro proponunt, læticia purè intellectualis, ex Dei possessione orta major sit mixtæ necesse est. De hisce tamen nemo rectè judicare potest, nisi qui utrumque gaudii genus sensit ipse.

Utilitas mæroris in eo consistit, quod facit miseræ nos vitæ præsentis tædere, & meliorem cupere, ubi gaudium est sine tristitia; quod incitat ad spernendas mundi vanitates, ad Deum constanter querendum, & ceu unicum lætitiæ auctorem omni animi impetu amplectendum.

At oriri mæror non debet nisi ex malo vero & nostro, idèque quia lege gratiæ morbi aliaque calamitates & miseriæ non sunt vera mala, sed mediū quo Deus nos emendat, fidem ac spem nostram probat, mærorè iis non decet. Contra, quoniam opes, honores & cætera fortunæ bona non sunt nostra, nisi quatenus iis utimur, factura illorum ceu boni nostri dolenda non est. Crimina autem verè mala & verè nostra sunt, quare & iis vehementissimè mærorè conuenit, ac si summum datur malum, ipse utique sunt; imò nisi peccatum in orbem venisset, nec tristitia in pectora nostra intrasset.

Postquam hæc de natura & regimine affectuum primitivorum monuimus succinctè, lubet jam subjungere præcepta quædam generalia iis servanda, qui passionibus animi imperare, non servire amant. Et primò quidem Vir sapiens, tranquillitatis ac felicitatis suæ studiosus dabit operam, ut vacuus sit affectibus, quando iis opus non est, aut ne ab iis quando ipsum invasere, occupetur totus ac superetur, nam seipsum & affectus suos vincere, pulcherrima est victoria. Quo sanè multum facit diligens rerum consideratio, etiam quando procul adhuc à nobis abluunt. Etenim quia plerumque affectus inde oriuntur, quod res aliter atque sunt percipiamus, si ad eas sedulo attendemus, eoque rectè intelligemus tam facile, atque alias solent, abripere nos excitatis passionibus haud poterunt. Itaque qui cogitat picturam forsitan olim videndam prius quam videret, non esse valde raram ac pretiosam, quando eumque ei occurrerit, non nimis eam mirabitur: & qui rem parum esse bonam novit, nec amabit eam nec cupiet vehementer, nec impetrata immodicè lætabitur; contra si non malam valde esse scit, eam non tanto odio iraque tanta prosequetur, nec tantam inde tristitiam percipiet, quantum orietur affectus ex non cognita. Res autem percipimus optimè, quando adhuc liberi à passionibus illas tranquillo nobiscum animo reputamus: unde laudandi sunt qui de rebus cogitant antè quam eveniant, hostis enim cujus adventum prævidimus, raro victorabit.

Axiomata quæ huc pertinent, & lubinde sunt in animū revocanda, sunt ferè sequentia: 1. In mundo nihil nobilius esse mente. 2. Quæ mentem non perficiunt, nec bona nec nostra esse. 3. Sapiens in mundo evenire id quod dicitur malum. 4. Id autem vel non esse malum, vel non tantum quantum putemus. 5. Bonum quod credimus raro accidere, & esse exiguum. 6. Tranquillitatem animi querendam unice, nec inveniri nisi in Deo & animo ipso. 7. Quantum fieri potest, vitandum ne ab altero dependamus. 8. Vera virtutis studiosum ac bene agentem ab altero non dependere, artem enim ac virtutem nutrire omnem terram. 9. Mala succedere bona, bonis mala. 10. Aliis indigere nobis, nos aliis.

Porro commune ac certissimum regendorum bene affectuum est medium, quum eos Deo consecramus, quum Deum miramur, amamus, cupimus, eo lætamur: quum ira, odio, & inimicitia prosequimur id quod Deo est adversum. Quia verò affectus animi, ut medicorum ait regula, sequuntur temperamentum corporis, ex arte medica sunt quoque petenda contra illos remedia. In admiratione enim nimis celer est spirituum animalium versus cerebrum motus, qui sisti & corrigi potest cogitatione de rebus aliis, sic enim spiritus aliud amandantur. In amore nimis est sanguinis calor motusque versus cor, lientem, quare oportet evitare ejus causam nimium victum & similia amoris irritamenta. In odio spirituum motus à percepta re mala excitatus est inversus, ut obstructis omnibus officis prohibeatur chylis cum sanguine mixtio, atque nonnulli spiritus per nervos lienis & infimæ partis jecoris quod bilis est receptaculi, cum sanguine ad cor perveniunt, unde hujus calor sic inæqualis.



❁ ❁ ❁

Igitur quantum fieri potest, cogitare decet de rebus gratis, & ingratis accipere surdis auribus; ita enim impedimus, ne sanguinis spirituumque motus retroversum agatur. Ceterum ad negligenda ingrata juvat recordari præceptum Epicteti, aliena non esse nostra, deinde & considerare, quod nos quoque, ingrata aliis aut dixerimus, aut præstiterimus. In cupiditate, pariter ac in amore, nimia est sanguinis agilitas, & plures cerebro spiritus suppeditantur à corde vehementius moto: à qua nimia sanguinis commotione nobis cavemus, cum fugimus cogitare de rebus menti nostræ inusitatis, & quarum magnam excellentemque habemus ideam. In lætitia est sanguinis nimia subtilitas & spirituum abundantia, quæ temperatur, ubi ad tractandas res serias & graves nos applicamus. id enim agendo bonam spirituum portionem consumimus. In tristitia est sanguis crassior & minus agilis, officina cordis per nervulum, quo circumdantur, curans & contrahens, unde non satis sanguinis in cor intrat, neque ex eo egreditur. Quare mortis prodest corporis motus, rerum objectarum varietas, gravium laborum intermissio, jucundorum tractatio.

Hicce luber subjungere verissima juxta & prudentissima Cardani de affectibus nonnullis monita, quæ extant in l. de util. ex advers. Duo sunt tristes, ait, ex opinatis affectus: presentium quidam dolor, quæ etiam ad præterita transferre solent, & futurorumque metu: totidem jucundorum presentium quidem gaudium, quod ut dixi etiam ad præterita, quasi adhuc maneat retorquetur: & futurorum quam spem appellamus. Cujus Plato tribus verbis scripsit encomium, cor nutriens spes, sensu lucemque fovens, & qua velubilem hominum gubernat animum. Itaque si sine metu spes esse possit, lætitia proxima foret: at cum metui plerumque admixta sit, sæpius molesta est quam jucunda. Ergo hac perturbatione carere velim semper, nisi cum rem formidolosam cerid antecedit. Tunc enim jucunda est, quoniam expectatione invisam retardat. Ceterum nihil aliud esse spem, quam vigilantis somnium, idem Plato docuit. Qui ergo sperant, contrario modo se habent, quam qui latentur & qui timent. In his enim tempus distulit & brevius videtur. Similes autem sunt his, qui in morore degunt, ut videatur spes mororis quadam species, & dolor quidam.

#### Ad Tractat. de homine.

Tergemina est in homine vita consideranda, ut ejus cum statum tum actiones probe discernamus a corporis & mentis & hominis. Nam antequam mens cum corpore jungitur, vivit istud vitam suam, quæ consistit in motu omnium illius membrorum à puriore & tenuiore sanguinis portione excitato & conservato, ad faciendas operationes, cum ipsius natura convenientes. Quare corpus quod vivere dicitur primum debet esse constructum è variis diversisque membris cum internis tum externis, quæ arte summa & modo admirando compacta constituunt unum totum. Deinde oportet, ut ipsa hæc membra moveantur à fluida quadam substantia, integrum corpus permeante. Tertio iste membrorum motus atque calor inservire debet peragendis functionibus illis, quas vitales appellant, uti sunt nutritio, incrementum, generatio, atque in animantibus præter eas motus & sensus. Est itaque corporis vita à spiritibus vitalibus, ut vocant, seu tenuiore sanguine orta. Cicero, s. de nat. Deor. Vena & arteria micare non desinunt, quasi quodam igneo motu, animadversumque, sæpius est, cum cor animantis alicujus evulsus, ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur quod vivit sive animal sive terra editum, id vivit propter inclusum in eo calorem. Et quod officium tenuior sanguis in animali, id præstat in plantis circumiens per eas succus nutritivus è radice inter fibras ascendens, & è foliis ad radicem descendens; atque in radicem quidem è terra fluit succus fermenti vices præstans. Vita mentis in cogitando consistit, eoque alterius longè naturæ est quam vita corporis, de quo tamè in superioribus egimus. Denique vita hominis posita est in operationibus, ad quas & corporis motus, & cogitatio mentis concurrunt. Vita corporis finitur, quando frigeat sanguis, atque tum mens hospitium suum deserere cogitur, quia vivâ, non mortuâ machina, potest uti. Vita mentis est immortalis, vita hominis solvitur discessu mentis è corpore. Cartesius in isto tractatu ea modo quæ ad vitam corporis pertinent explicat.



